

FA/153



INNER TEMPLE LIBRARY

INNER TEMPLE LIBR...


WITHDRAWN

R. 50. 251

NIA: 340661



FA / 153



F R. H O T O M A N I

Quæstionū illustriū liber,

Secunda editione ab auctore locupletatus.

Disputatio quædā eiusdem, habita Biturig.

I A C. • C V I A C I I C O M-

mentarius in l. Frater à fratre:

Cui subiuncta est eiusdem

F R. H O T. V E T V S R E N O-

uata disputatio in eandem legem:

Item,

A P P E N D I X A D V E R S V S

nouam eiusdem legis interpretationem, quæ

nuper L E S C V R I V S vir eruditissimus

promulgauit in suo A F R I C A N O : qui &

ipse huic Appendici additus est.




ANNO M. D. LXXVI,

Excudebat Henr. Stephanus.



Л И А Т О Т О Д А Н И
О днажды в глуши
Случай подтолкнул героя
К спасению девушки.
А С В А І А С І І С О М
Именно эти факты
Служат основой для сюжета
Я Н О Т У В Т А Р Я Н И
и послужили для сюжета



Д А Н И О М Д Л X X V I

Библиотека Государственной

ILLVSTRISSIMO

& potentissimo Principi ac Domino, Domino VVilhelmo, Landgrauio Hassix, Comiti in Catzenelnbogen, Dietz, Zigenhain & Nidda, &c. Domino suo clementissimo.

V O D à Platone quondam dictum est,
illusterrime Princeps, eas demum beatas esse Republicas, in quibus uel principes sapientiae dediti sunt, uel sapientiae dediti dominantur: id Hassi C. V.
clientes ac subiecti uerissimè dictum fuisse experiuntur.
Habes à patre Philippo, heroicæ quondam uirtutis Principe, ab auis item & proauis principatum summum: distinctionem uiris, armis, opibus florentem. Itaque magna tota terrarum orbe illustrissimi tui nominis auctoritas atque amplitudo est: beatissime inter mortales, qui humanitus humanis de rebus iudicant, eo nomine iudicaris.
Verum ad tuam felicitatem non mediocre momentum illud affert, quod clientes habes, cum Platonis, sapientissimi uiri, tum etiam suo atque adeo gentium exterarum iudicio beatos. Primum, quod summum in hac uita bonum est, ut piè ritèque Deum colere liceat, id illi singulari C. T. benignitate consequuti sunt. Quod secundum numeratur, ut otio & pace fruantur, tranquilleque ac placide uitam degant, neque ciuilibus dissensibus conflictentur, id quoque tuo beneficio sunt adepti. An uero quicquam ad eorum felicitatem amplius af-

*.ii.



ferri potest? Facit clementia & mansuetudo tua ut possit. Nam ut eorum iuuentutem artibus optimis exerceri liceat, Academiam instituisti doctissimus uiris florem ac nobilem: in qua ita multos ac præstantes viros liberalitate tua sustentas, ut meritissimo atque optimo iure bonarum artium domiciliū dici possit. Neque uerò multorum id Principum aliorum exemplo facis: qui literis quidem & literatis fauent, eosque benevolentia sua dignos iudicant, sed aliena tantum fiducia id faciunt. Tanta enim C. T. in omni literarū genere præstantia est, tanta antiquitatis memoria, tanta bonarum omnium artium peritia, ut iam de doctis & eruditis præcipuum tuum esse iudicium existimetur. Sciant omnes qui in Germania uersari sunt, C. T. ita in omni philosophiae genere, sed præsertim in Astrologiæ Scientia excellere: ut ceteræ quidem artes C. T. cum aliis communes, huius tua quasi propria ac præcipua possessio videatur. Quæ uidi ego, cum istic aliquandiu apud C. T. commorabar, mathematica instrumenta! quas machinationes! qualem uero & quanto artificio elaboratam sphærām! ut etiam Archimedeam illam propemodum superare uideretur. O beatos tali principe clientes: o miseros qui furiosis & agrestibus dominis seruiunt. Iam uero quid dicam de fortitudine & uirtute militari, cuius adolescens ac penè etiam puer tanta actum præclara orbi uniuerso documenta præbuisti? Ad tantas laudes accessit præterea incredibilis animi mansuetudo, & naturæ bonitas, qualiteratos viros complectris: & quanvis Deus C. T. in isto altissimo dignitatis gradu collocarit, nunquam tamen ab eorum consuetudine abhorres. Me quidem (si tamē in illo mihi numero aliquid loqui reliectum est) me, inquam, summa iam olim beni-

gnitate, fauore, et benevolentia complexus es. Nuper uero ubi me propter fatalem patriæ tempestatem, extorrem esse audisti, non modò conditionem in tua ditione honestissimam mihi detulisti, uerum etiam fortunam meā miseratus, singulari ac planè regali munificentia muneratus es. Itaque ualde me ingratum ac potius imperium iudicari patiar, nisi tantam munificentissimi Principis liberalitatem non modò memori mente prosequar, uerum etiam quibus possim modis prædicem. Quia de causa quum hunc Questionum aliquot ciuilium libellum in manibus haberem, neque alia ratione mei erga C. T. animi obseruantiam testari possem, non alienum officio meo esse iudicavi, si eum ego illustrissimo tuo nomine inscriberem. Cum enim earum Questionū tractationem in illum contulisse, quae in iure nostro principē locū obtinent, multorumq; Iurisconsultorū disputacionibus uexatæ, claræ in primis atque illustres habentur: cōmodissimè facturum me putavi, si tractationem omnium illustrissimam Principi omnium illustrissimo, doctissimo et munificentissimo dicarem. Primum ut muniuentiæ tuæ gratias quibus possem modis agere: deinde, ut siquam de meo erga C. T. studio et fide opinionē concepisti, eam ego omni animi atque ingenij cōtentione confirmem: magnitudinemque meæ erga C. T. obseruantæ qualicunq; ratione possum, testificær. Vale illustrissime Princeps, et salve. Deum orouit C. T. quamdiutissimè beatam ac florentem esse patiatur.

X. Kal. Iulij. M. D. LXXIII.

Illustrissimæ C. T.
obsequentissimus
Fr. Hotomanus.

*.iiij.

TITVL I QVAESTIONVM

illustrium, quæ hoc libro tra-
ctantur.

An Regibus ius sit regna & ditiones suas arbitratu
suo deminuere. Quæst. 1, pag. 1

Ex duobus Regis filiis, quorum alter ante adeptum à
patre regnum, alter postea natus est, vter præferatur.

Quæst. 2, pag. 17.

Rege mortuo, cuius nepos ex primo eius filio demor-
tu, & alter eiusdem filius, extant, vtri hereditas defera-
tur. Quæst. 3, pag. 27.

Ex tribus fratribus cùm secundus relicto filio decessit,
vter in primi, qui Rex mortuus est, hereditate præfera-
tur: fratris huius filius, an frater tertius superstes. Quæ-
stio 4, pag. 35.

An ciuitas bello capta, si in libertatem vindicetur, iura
quoque sua pristina omnia recuperet. Quæst. 5, pag. 38.

An ei qui testamenti tempore in rebus humanis non
est, relinqu aliiquid testamento possit. Quæst. 6, pag. 42.

An fides hosti data seruanda sit. Quæst. 7, pag. 46.

Vtrum refectione rerum singulärum yniuersitas mu-
tetur, an eadem res maneat. Quæst. 8, pag. 54.

An matrimonii sine parentū auctoritate contracti pœ-
na vlla constituta sit. Quæst. 9, pag. 59.

An principalis obligatio pœnali stipulatione nouetur.

Quæst. 10, pag. 64.

An dominium sine possessione acquiri possit. Quæ-
stio 11, pag. 73.

In dominio transferendo an præsentia & naturalis tra-
ditio requiratur. Quæst. 12, pag. 80.

An liberi in conditione positi intelligantur ad heredi-
tatem vocati. Quæst. 13, pag. 85.

Inter duorum fratrum liberos, vtrum patrui heredi-
tas in stirpes an in capita diuidenda sit. Quæstio 14,

pag. 89.

- An alterius generis numos, quam cuius crediti sunt,
vel exigere vel soluere liceat. Quæst. 15, pag. 98.
- In lite frugum debitarum per iudicem æstimada, quæ
ratio tenenda sit: id est, cuius temporis aut loci pretium
spectari oporteat. Quæst. 16, pag. 107.
- An quæ à falso magistratu per magistratus nomen ge-
sta sunt, rata esse debeant. Quæst. 17, pag. 110.
- Vsusfructus vtrum diuiduu sit, an, vt ceteræ seruitu-
tes omnes, indiuiduu. Quæst. 18, pag. 118.
- Hereditas vtrum diuidua, an indiuidua sit. Quæst. 19,
pagina 127.
- An debitor solutionis partem offerens, in uito credito-
re pro ea liberetur. Quæst. 20, pag. 133.
- An de crimine pacisci aut transfigere liceat. Quæstio
21, pag. 137.
- An ius vtendi fruendi re aliena, salua eius substâlia, de
nullo alio quam de vsufructu dici possit. Quæstio 22,
pag. 145.
- An iustum coniugium solo partium consensu sine pu-
blica testatione contrahatur. Quæst. 23, pag. 150.
- An debitor, qui soluendo non est, iure Rom. affici pœ-
na corporali possit. Quæst. 24, pag. 157.
- Iudex vtrum ex conscientia, an secundum edita in lite
instrumenta iudicare debeat. Quæst. 25, pag. 168.
- An iudicandi munus iuris & legum imperitis manda-
tri possit. Quæst. 26, pag. 172.
- An, & quibus casibus pluribus concurrentibus actio-
nibus vti liceat. Quæst. 27, pag. 177.
- Naturalis interitus rei post moram accidēs, vtrum ad
actorem an ad reum pertineat. Quæst. 28, pag. 183.
- An pendente iudicio petitorio, agi possessorio liceat.
Quæst. 29, pag. 189.
- An totius & partium idem ius sit quod vniuersitatis,
& rerum singularum: aut quibus inter se rebus differat.
Quæst. 30, pag. 193.
- Re à pluribus furto sublata, quam tollere singuli non
potuissent, vtrum vniuersi tantum, an verò singuli furti
teneantur. Quæst. 31, pag. 203.
- An legis actionum & actuum legitimorum eadem ra-

tio esset, aut quibus inter se rebus vel conuenirent, vel
different. Quæst.32, pag.209.

An Imperator de ducatu quem ante adeptum imperiu
habuit, etiam post imperium adeptum, fidelitatem præ-
stare debeat. Quæst.33, pag.223.

Vtrum adiuncti pacti eadem tum in strictis, tum in bo
næ fidei contractibus vis sit: aut verò quibus in rebus sit
dissimilis. Quæst.34, pag.230.

An, vt quod ab initio statum non cepit, recipere post
ea nō potest; ita quod semel statum cepit, amittere illam
non possit. Quæst.35, pag.246.

An filius fideicommisso grauatus detraheredua
tas possit. Quæst.36, pag.254.

His adiecta sunt ista,

E I V S D E M F R. H O T. Disputatio cō-
tra c. Raynutius, ext. de testament. pag.270.

I A C O B I C V I A C T I I I. C. Com
mentarius in l. Frater à fratre, pag.300.

Eiusdem F R. H O T O M A N I in eandem
legem vetus Renouata Disputatio, pag.319

Item,

Appendix aduersus nouam eiusdem legis interpreta
tionem, quam nuper L E S C V R I V S vireru
ditissimus promulgauit in suo A F R I C A N O: qui
& ipse huic Appendici subiunctus est. pag.356.

F R A N C I S C I H O-
T O M A N I I V R I S C.

Quæstionum illustrium
liber.



*An Regibus ius sit regna & ditiones suas
arbitratu suo deminuere.*

Q V A E S T I O I.

E T V S & præclara quæstio est:
eiisque usus cum in Gallia nostra
persæpe magnus est, ubi de domi-
nio Regis disputari solet: tum e-
tiā apud Germanos insignis fuisse
memoratur, anno M. C C L X X: cum Imp. Caro-
lus I I I I Venceslaum filium Cæsarem designa-
dum curauit. Promisit (inquit Naucerus) Elec-
torum cuique centum aureorum millia pro
consensu: quæ cum soluere non posset, obliga-
uit illis telonia & vectigalia imperialia, oppi-
da, proprietates & iura, titulo pignorum. Ex
quo insurrexit disputatio grandis. Una enim
pars probare contendebat, quod non liceat
neque expediat exossare imperium: alia assere-
bat rationabiliter hoc factum, ne ipsorum E-
lectorum regiones grauentur à potentioribus.
Haec ille in Chron. Gener. 46. Simillimam inter
Papam & Imp. Ottонem. I I I I controuer-

A. j.

siam anno m. c c x exortam, Ioh. Tritemius cap.22. commemorat: propter Marchiam Apuliæ, quam Imperator (inquit Tritemius) ad Imperium, Papa verò ad Ecclesiam pertinere Romanam confirmabat, per donationem testamentariam Do. Mathildis, filiæ quondam Rotgeri Principis Siciliæ famosissimi, & uxoris Conradi Regis, filij Henrici Imperatoris 1111. Hanc donationem per mulierem sine consensu Principum factam Ecclesiæ, Papa validam, Imperator verò inualidam esse dicebat. Tandem cum Imperator Papæ ipsam Marchiam nō vellet concedere, ab ipso fuit excommunicatus.

Quare operæ pretium fore videtur, quid de quæstione proposita in utramque partem afferri possit, considerare. Nam quantum ad ius Romanorum attinet, satis constat, lege Regia summum ius Cæsaribus in res omnes tum diuinæ, tum humanæ, iudicium arbitriūmque tributum fuisse. Itaque Seneca lib. de benef. 7. cap. 4. Iure ciuili, inquit, omnia Regis sunt: & tamē illa quorum ad Regem pertinet vniuersa possessio, in singulos dominos descripta sunt. Et cap. seq. Sub optimo Rege, omnia Rex imperio possidet: singuli dominio. Item cap. 6, Cæsar omnia habet: fiscus eius priuata tantum ac sua, & vniuersa in imperio eius sunt: in patrimonio, propria. Atque in eandem sententiam extat locus ille nobilis Ambrosij epist. 33, vbi de Valentianino Imp. loquitur. Conuenior, inquit, à Comitibus & Tribunis, vt basilicæ fie-

ret matura traditio: dicentibus Imperatorem iure suo vti, eo quod in potestate eius essent omnia. Respondi, si à me peteret quod meum esset, id est fundum meum, argentum meum, ius huiusmodi meum: non refragaturum: quamquam omnia quae mea sunt, essent pauperum. verum ea quae diuina, Imperatoris potestati non esse subiecta. Quinetiam cæterarum ferè gentium similia licet instituta commemorare. Nam apud Florum lib.2. & in Epit. Liuij 58, Attalus Rex Pergamenorum regni sui heredem populum Romanum instituit, his verbis, Populus Romanus bonorum meorum heres esto. Bonorumque nomine populus R. regnum ipsius vniuersum, diuina humanaque, publica & priuata complexus est. Sic in ead. Epit. 93, Nicomedes Bithyniae Rex moriens populum R. fecisse heredem dicitur: regnumque ipsius in provinciæ formam redactum. Item Epit. 59, Aristonicus Regis Eumenis filius Asiam occupasse dicitur: cum testamento Attali Regis legata populo R. libera esse deberet. Sic apud Ciceronem Agrar.orat. I, Alexander AEgypti Rex Alexandria & AEgyptum populo R. legasse dicitur. Apud Liuium lib. 70. Ptolemæus Cyrenarum regnum: apud Tacitum lib. 14, Prasutagus regnum Icenorum Cæsari, & ipsius filiabus. Ex quibus intelligi potest quam absurdè & *αισθητως* Alb. Kratzius lib. Dan. 2. cap. 3. ita scriperit, Vnguinus Gotorum Rex erat, quem Haldanus post se regni moderatorem in Dania desi-

gnauit , Noruagiæ Hasmundum impuberem filium relinquens. Nouum & antehac incomperatum munus testamento datum. Eqūidem ædes, agros, prædia, vineas, & his similia testamento dari audiuimus: regnum autem præstare chartæ beneficio, prodigijs loco habitum est. Iam verò cui nota non est vel donationis Constantini fabula , vel donationis Ludouici, cognomento Pij, verissima historia, qui Papæ Paschali vrbē Romanam cum Italiae parte donauit? cuius donationis instrumentum extat apud Volaterr.lib.Geogr.3. Item donatio Delphinatus facta Regi Galliæ à Principe Vmberto, anno M. C C C X L I X , ea lege vt Regis filius natu maximus Delphinus diceretur , & ditio nem illam tanquam Imperij feudum ab Imperio recognosceret , eoque nomine Imperij vassallus esset: vti scribit Theod.Nihemius, lib. hist.2.cap.25. Item donatio totius regni Galli mortis caufsa facta à Carolo vi Galliæ Rege , collatāque in Henricum Angliæ Regem anno M. C C C C X X . cuius donationis formulam Enguerrantius Monstrelettus prodit, cap. hist. 225. Denique nota omnibus est donatio xx oppidorum Israelij regni , facta à Rege Salomone, Hiramo, Regi exterо & fortasse profano.cuius testimonium extat I.Reg.cap.9.

Sed quoniam de Impp.Romanorum iure instituta disputatio est, locus hic postulat , vt iuentutis caufsa paulo subtilius de eo differamus: quòd ea res à nemine, quod sciam, adhuc

explicata sit. Intelligendum est igitur , earum rerū quæ sub Cæsaris imperio ac ditione sunt, quatuor genera fieri à Iurisconsultis. Aliæ namque, res Cæsaris appellantur, aliæ res Fisci, aliæ Publicæ, aliæ Priuatæ. l.3.§.pen.D. de iur.fis.l.i, C.de pœ.iud.mal.l.i, §.2.D.de calum. Res Cæsaris dicuntur, quæ in principis cuiusque priuato patrimonio sunt: nō quatenus est princeps, sed quatenus est Arcadius , aut Honorius , aut Antoninus.l. cum seruus,39,§. vlt. D. de legat. prim.l.3,C.de quad. præsc. Itaq; res Priuatæ, & priuata principis substantia , & res dominicæ, itemque patrimoniales appellantur.l. pen. & l. vlt.C. de fund. patr. Nonnunquam etiam AE-
rarium hoc Priuatum appellatur: quod duplex fuit. vnum, largitionum , siue rerum priuatarū Augusti Augustæque: aliud sacrarum largitionum, siue thesaurorum.l.i, C.de locat.præd.ci-
uil.l.2,& l.3,C.de quad. præsc.Res autem Fisca-
les dicuntur, quæ non tam in Principis quām in principatus patrimonio sunt: eique ad suam dignitatem tuendā, quasi vſusfructus nomine, attribuuntur. qua de cauſſa patrimonium Fisci nominatur,in l.2,§. 2,D. neq.in loc.pul.l.paecta conuenta,72,§.1,D.de cont. empt. Sic in l.vlt.
D qui pot. in pig. apertissimè res Cæsaris à re-
bus Fisci separantur: & principio species pro-
ponitur, qua priuatus præfertur Fisco in hypo-
theca: pōst altera species , qua priuatus Cæsari similiter in hypotheca præfertur. Item in l. Fi-
scus,6.D.de iur.Fisc.vbi ratio Cæsaris à ratione

A.ij.

Fisci separatur. Itémque in l.oi ἀπίτηροποι, 49, D.
locat. vbi χωέια Καισαρος separantur ἀπό τῶν χωέιων,
ἢ ταμείου. & l.2, & l.3. C.de quad.præsc.& l.vlt.C.
de collat. fund. Fisc. Iam verò res Publicæ di-
cuntur, quæ in populi patrimonio sunt, l.quod
in littore, 14, D.de acq.rer.dom.l.1, D.de rer.di-
uis.l.inter, 17, de verb.sig. non autem quæ usui
publico sunt, & in quæ populus Rom. impe-
rium habere dicitur, in l.3, D.neq.in loc.pub.In
publicis igitur rebus primùm numerabimus
Ærarium: quod non Principis fuit, sed popu-
li & Reipub. Spartianus in Adriano, Damna-
torum bona in fiscum priuatum redigi ve-
tuit, omni summa in ærario publico recepta.
Plinius in Panegyrico, At fortasse non eadem
seueritate fiscum, qua ærarium cohibus? Imò
tanto maiore, quanto plus tibi licere de tuo
quàm de publico credis. Præter ærarium erant
& ciuitatum agri publici, qui si in perpetuum
locabátur, Vectigales appellabantur. l. cotem,
ii, §.1, D.de pub. l.1, D.si ag. vect. l. Lucius, 21,
§. vlt. D. ad munic. Nam Publica generaliter
nunc appellamus, siue populi, siue ciuitatum. l.
eum qui, 16, de verb.sing. Quanuis igitur multo
maxima pars vectigalium in Fisci iure esset, l.1,
D.de publ.l.inter, 17, de verb.sign.tamen quæ-
dam populis & ciuitatibus concessa erant. l.vc-
tigalia, 10, l.vlt. C.de vectig.& com.l.vectiga-
lia, 10, D.de publ. l.3, C.de compēs. Restant res
Priuatæ, siue singulorum, quæ in cuiusque ciuis
patrimonio esse dicūtur. l.1, D.de rer.diu. Ergo

quantum ad Cæsaris patrimonium attinet, dubium nemini esse debet, quin id Romano iure alienari, Principis iussu atque arbitratu, liceret: propter d.l.cum seruus, 39, §. vlt. De leg. I. & I. vniuersi. 9, & I. seq. C. de fund. patr. Quantum autem ad res Fiscales attinet, idem quoque iuris fuisse constat ex I. 2, §. 2, D. neq. in loc. pub. Vbi res fiscales, quasi priuatæ & propriæ Principis dicuntur: & d.l. 3. C. de quadr. præf. Quæ differentia, inquit, introducatur, cum omnia Principis esse intelligantur, siue ex sua substantia, siue ex Fiscali fuerit aliquid alienatum? Denique Fiscalium rerum commercium esse, patet ex I. si procurator, 5, D. de iur. Fisc. Quantum autem ad Publicas res attinet, video harum quoque rerum summum iudicium penes Imperatorem fuisse: ut de vectigalibus traditur in I. 3, C. vect. nou. inst. non poss. & de locis communibus. I. 2, §. si quis à Principe, D. neque in loc. publ. & de agris publicis. I. cotem. II, §. 1, D. de publ. & de itineribus publicis. I. scrututes, 14, D. de seru. Quid ergo est? an Cæsaris res, quæ publici iuris erant, alienadi ius fuit? Sed obstat I. imperatores, 37, D. de paet. & I. 1, D. de off. proc. vbi procuratori Cæsaris non alienandæ sed bene gerendæ rei potestas permissa esse traditur: quasi summum ius administrandi, non etiam alienandi haberet. Restant res Priuatæ: de quibus ex iuris Romani ratione dubitari videtur posse, propter I. Lucius, II, D. de euict. vbi priuati hominis prædia Imperatoris iussu alienata proponun-

A. iiii.

tur. Quo argumento plerique confirmari putant, Imperatoris Romani etiam in priuatorū fortunis alienandis summum ius summāque potestatem fuisse. Sed peruersè & absurdè illo loco ad eam sententiam abutuntur. Non enim de agris, qui proprietatis iure in ciuim R. patrimonio sunt, ibi Paulus loquitur, sed de prædiis quæ in Germania trans Rhenū bello quæsita fuerant: & non proprietatis, sed tantum possessionis iure fruenda concedebantur: de quibus in l. quæstio, 115, D. de verb. sign. vnde illud Festi, Possessiones appellantur agri latè patentes, publici priuatique: quia non mancipatio-ne, sed vsu teneantur. Eoque pertinet l. cotem, 11, §. agri, D. de publ. & vect. & l. item prædia, 10, D. fam. ercisc. vbi vectigalia prædia dicuntur non esse nostri patrimonij. Qua de re vberius in Feudali diction. differuimus. Cùm igitur huiusmodi essent prædia illa Germanica trans Rhenum, non mirum est si Imperatoris præcepto postea distracta, vel veteranis assignata fuerint. Quinetiam alio loco traditur, in priuatorum agris nihil, ne publico quidem consilio, cum ipsorum iniuria capi ius fuisse. l. venditor, 13, D. de com. præd. In eāmque sententiam Cicero Off. 2, Videndum, inquit, erit ei qui Remp. administrabit, vt suum quisque teneat, neque de bonis priuatorum publicè deminutio fiat. Eodēmque peruulgata pertinet quæstio de vinea Nabothi, quam Achabo Regi postulanti ut eam sibi venderet, aut permutteret, recusauit,

1, Reg. 21. Quanquam dissimiles regnum formas esse constat: neque in regno Israelio videatur tantum iuris Regibus concessum: partim quia Deus certos cuique tribui agrorum fines attribuerat, partim quia Deut. 17, vbi lex Regia prescripta est, interdictum erat Regi ne se supra suos fratres efferret. ut facile intelligatur, Regibus Israeliis ius non fuisse, ciuibus inuitis suos agros eripere: quorū fructuarij tātūm erāt, non pleno iure domini lege diuina constituti.

Verūm vt ad institutam quæstionem de Regno deminuēdo reuertamur, existimamus Regibus ius non esse ditiones suas sine populi & subiectorum suorum consilio & consensu alienare. Sententiae autem nostræ argumētum hoc primum ac summum est, quoniam per huiusmodi conuentiones non tantūm agri & domicilia, verum etiam incolæ alienantur: qui etsi in Regis ditione, imperio ac potestate esse dicuntur, tamē multo magis in ipsius fide & clientela sunt: neque tam eius potestati permissi, quam fidei & benevolentiae commissi. Itaq; & liberorū & nobilium nomen iūsque retinent. Non enim omnes qui sub Regum imperio subiecti sunt, continuò serui habendi sunt. Aliud est enim Regem, aliud Tyrannum esse: vt Aristot. Polit. 3, demonstrat. Rex, inquit, volentibus & cōsentientibus imperat, tantūm vt eos regat: Tyrannus verò inuitis dominatur, tātūm vt eos pro pecudibus, nedū pro seruis & mācipiis, habeat. Rex, inquit, omnia ad subiectorum salutem & inco-

lumitatem refert. Στοιχεῖον τὸ δέκατον εἰς τὸ αὐτόν, ut ait Paulus Rom. 13: Tyrannus verò ad suū commodum, vtilitatem & voluptatem omnia contorquet. Quod quām præpoſterum & naturæ contrarium sit, vel ex eo intelligi potest, quòd subiecti non Regum cauſſa, ſed ex contrario Reges ſubiectorum cauſſa reperti funt: poſſuntque ſubiecti eſſe ſine regibus: Reges ſi- ne illis eſſe non poſſunt. Cùm igitur in huius- modi alienationibus etiam homines, iīque in- genui, continueantur, liberorum autem hominū commercium non ſit: consentaneum eſt, Reges ditiones ſuas neque in totum neque in parte in ſine ſubiectorum fuorum conſenſu alienare poſ- ſe. I. liber homo, 103, D. de verb. oblig. I. ſi em- ptione, 34. §. I, D. de contr. empt. Quid verò, ſi e- tiam illa conſideratio accedat, quòd ſubiecti in eius fortaffe principis ditionem abalienan- tur, qui ſua potentia ad tyrannidem abutitur? Annon absurdum eſt existimare, duriorem ci- uium ſubiectorum conditionem eſſe, præfertim ingenuorum, atque adeò nobilium, quām olim fuerit libertorum? Atqui Romano iure cautum eſt, ne heres feruum, cui libertas per fideicom- missum relictā eſt, alij poſſit manumittendum tradere, ut eius libertus fiat, quām qui à teſta- tore manumittere rogatus eſt. I. generaliter, 24. §. vlt. & I. inuitus, 34. D. de fid. lib. Eódem acce- dit, quòd liberti cogi à patronis non poterant alio loco, quām quo illis liberet, domicilium poñere. I. pen. C. de op. lib. neque licita nego-

tiatione prohiberi poterant. l. 2. D.de iur.patr.
aut ibi artē suā exercere , vbi patronus nolebat.
l.quāro, 18, D.cod.& l.libertus, 45, D.de op.lib.
Verūm, vt hac de re paulo subtilius disciplinæ
caussa exponamus, quadripartita disputatio in-
stituenda est. Nam aut regnum populi iudicio
suffragiisque delatum est , vt nunc de Polonico
deferendo haberi comitia videmus : aut à ma-
ioribus hereditate & antiqua successione reli-
ctum: aut ab extraneo, testamēto legatum : aut
armis ac bello partum. Neque enim Tertullia-
no assentior , qui in Apolog. aduersus gentes
scribit, se arbitrari regnum omne vel imperium
armis quāri , & victoriis propagari. Si regnum
populi suffragiis delatum est, primū animad-
uertendum est , ecquæ pactiones & conditio-
nes in Rege creando interpositæ fuerint : velut
in c. intellecto, 33. Extr. de iureiur. vbi in Rege
Hungariae inaugurando iusurandum ab illo
exactum fuerat , nequid è ditionibus suis alie-
naret , sed iura regni integra conseruaret. nam
siqua pactio interposita est, quoniam(vt vulgò
dicitur) nihil tam humanæ fidei consentaneum
est , quām ea quæ placuerunt seruari : l.l.D.de
pact.l.non minorem, 20. C.de trans. Rex qui si-
dein publicam subiectis datām & iureiurando
confirmatam violat, iam non Rex, sed humanę
fidei & iuris gentiū expers habendus est. Quod
si pactio nulla in creatione adhibita est, sed sim-
pliciter ei regnum delatum est, tum verò, quia
Rex moderator Reip, non eucorsor constitutus

est, aurea regula de Reip. curatoribus seruanda est, ut ius Reip. pactionibus mutare non possint. l. 2. §. ius Reip. D. de adm. rer. ad ciu. Item de omnibus administratoribus, ut quibus administratio permissa est non utique alienandi potestas permissa intelligatur. l. contra, 28, D. de pact. Denique Rex tanquam populi sui tutor præscriptam tutoribus regulam seruare debet, ut tum denique pro domino habeatur, cum pulillis prouidet: hoc est, cum salutem & incolumentatem populi tuetur. l. tutor, 27. D. de admin. tut. l. 7, §. si tutor, D. pro empt. l. interdum, 56, §. pen. D. de furt. Nam (ut Cic. Off. l. scribit) ut tutela, sic procuratio Reip. ad utilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est. Et lib. de Rep. 3, Resp. inquit, dicitur, res populi, quum bene & iustè geritur: siue ab uno Rege, siue ab optimatisbus, siue ab vniuerso populo. Quum vero, inquit, iniustus Rex est, quem Tyrannum voco, non iam vitiosa, sed omnino nulla Resp. est: quoniam non est res populi, quum Tyrannus eam factiove capessat. Iam vero si regnum a maioribus alicui relictum est, hoc casu non dubium est quin tacito iure & diuturno populi consensu regnum extra familiam alienari non possit: ac propterea si quis malis vtens consiliariis illud alienaret, successorem eo contractu non teneri. l. peto, 69. §. prædium. D. de leg. 2. ac proximo agnato ius esse, quod eius alienatum erat, reuocare. l. omnia, 32. §. vlt. l. peto, 69. §.

fratrem, D. eod. Quid igitur si regnum non maiorum hereditate & continuata successione, sed extranei alicuius testamento ac beneficio relictum esset? Tum verò dubium esse posset, an quo iure quæsitum illud esset, eodem iure abalienari posset: quoniam qui pleno iure dominus est, alienandi, dissipandi, disperdendi ius habet. l. 7, C. de relig. l. sed etsi. lege, 25, §. consuluit, D. de hered. petit. & (vt vulgò dici solet) suæ quisque rei arbiter ac moderator est. vulg. l. in re mādata, 21. C. mand. Sed superius demonstrauimus, in huiusmodi alienationibus nō tam agrorum & oppidorum, quām ciuium & librorum hominū rationem habendam esse: quos contra voluntatem alienari, & in tyranni fortasse alicuius potestatem transferri, planè tyranicum videtur: cùm Romano iure ne patronis quidem in libertos ea potestas esset. d. l. generaliter, D. fid. libert. & huc pertinet, quod est apud Gell. lib. 5. cap. 19, Tutoribus in pupilos tantam esse auctoritatem potestatēmque fas non fuisse, vt caput liberum fidei suæ commissum alienæ ditioni subiiceret. Quineriam feudali iure Seniori non licet feudum alicui constitutum sine ipsius vassall'i voluntate in alterū quoquo titulo alienare. lib. Feud. l. tit. 22. §. 2, & tit. 27. §. 2, & lib. 2, tit. 2. 6, §. 4, & tit. 34, §. 3. Quo exemplo vti videmur posse ad coercendam alienandorum regnorum potestatem: quasi defunctus delegisse videatur cuius non modò potestati clientes & subiectos suos permitteret,

verum etiam fidei committeret. Restat pars ultima, cum armis & bello regnum quæsitum est. Nam cum Principis virtute partum atque in eius ditionem redactum sit, consentaneum videtur ut de eo statuere arbitratu suo possit. Sed quum eam ditionem solus ac per se non acquisierit, sed ciuiū suorū sanguine, laboribus, periculis, non alienū videtur regulā iuris ciuilis sequi, ut quod communibus multorū laboribus quæsitū est, non nisi communi eorū consilio & consensu alienai possit. arg. l. 1. & pass. C. de com. rei al. Cl. si in re cōmuni, 19. D. de nox. act.

Nunc supereft ut contrariis argumentis respondēamus. Ergo quantum ad locos Senecæ, nō difficilis solutio est: dum intelligatur, Sene-
cam non hoc statuere, Regis esse omnia, ut singula, verūm ut vniuersa. nam regnum vniuersè consideratum, est Regis: at per singulas partes, est singulorum: siue ciuitates singulas spectemus, quarum certi cuiusque fines & territoria fuerūt, quæ superius publica dici demonstrauimus: siue singulos ciues, & patres fam. qui suos fundos priuato patrimonio & proprietatis iure possident. Itaque illo codem capite 4, sic infert, Illa quorum ad Regem pertinet vniuersa possessio, in singulos dominos descripta sunt: & unaquæque res habet possessorem suum. Itaque dare Regi & domum & mancipium & pecuniam possumus: nec donare illi de suo possumus. ad Reges enim potestas omniū pertinet: ad singulos, proprietas. Item cap. 6, Vniuersa,

inquit, in imperio eius sunt: in patrimonio, propria. Denique cap. 4. quod de Rege superius dixerat, idem de singulis ciuitatibus affirmat. Fines, inquit, Atheniensium aut Campanorum vocamus, quos deinde inter se vicini priuata terminatione distinguunt: & totus ager aut vlius (legendum puto A V T V I C V S) Reip. est: pars deinde suo domino quæque censetur. Ideoque donare agros nostros Reipubl. possumus, quanvis illius esse dicantur: quod aliter illius sunt, aliter mei. Hac igitur distinctione aduersus illos Valentianiani comites & absentatores aulicos vtendum erit, de quibus Ambrosius loquitur, Vniuersa quidem esse Regis, sed non singula. De qua differentia planius infrà differendi locus erit, vbi de Toto & Vniuerso explicabimus. Quanquam in templo, quod vel sancti vel publici iuris est, commodius respondit Ambrosius, quæ diuina sunt, nullius dominio subiecta esse. Quatum autem ad reliqua regna pertinet, quæ diximus interdū vniuersa testamento donata fuisse, interdum donationibus deminuta: lex formulāq; Imperij (vt suprà diximus) obseruanda est. Neque enim gentem ullam (præter Turcicam) ita stupida ac barbaram, & pecudum potius quam hominum similem esse arbitror, quæ non in Rege inaugurando aliquam ab illo regni conservandi fidem & iusjurandum exigat: quemadmodum videmus feudali iure Seniorem eandem Vassallo fidem debere, quam Vassallus Seniori:

& antiquo iure Romano patronum eandem
clienti benevolentiam debere, quam hic illi. In
Gallia quidem nostra Rex sine publico gentis
concilio, quod vulgo Trium ordinum conuen-
tus appellatur, nihil nec alienare, ac ne oppi-
gnerare quidem potest: vt cum alij Pragmatici
omnes, tum etiam Baldus testatur in c.1. Si de
feud. fuer. controv. itemque Paponius Arrest.
lib.5.tit.10.art.4. In eamque sententiam profer-
ri solet textus in l. vlt. C. de præd.curial. Sic in
imperio Germanico extat aurea bulla Caroli
1111, vbi cap. 20, certæ cuiq; Principi Electori
ditiones dignitatis tuendæ caussa sunt attribu-
te, quas ipsorum arbitratu deminui ius non est.
Neque verò vel stultorum Regum, qualis fuit
Carolus v 1, vel aliorum qui arbitratu suo di-
tiones alienarunt, exempla nobis magnopere
aduersantur. nam, vt vulgo dici solet, non exé-
plis, sed legibus iudicandum est. l.nemo, 13, C.
de sent. & interl. Restat Salomonis donatio: de
qua ita statuendum arbitror, Salomonem non
perpetuarij juris & proprietatis ac dominij alie-
nandi caussa oppida illa x x Regi exterо tradi-
disse. primùm propter rationem religionis, quæ
sub extero Rege mutari aut corrumpi potuif-
set. deinde quia ne priuatorum quidem posse-
fiones mutare Regibus Israeliis licuit: vt supe-
rius de Nabothi possessione dictum est. quid
ergo est? nimirum cum Hiramus magnam Sa-
lomoni pecuniam ad templum ædificandum
credidisset, magnamque præterea materiae vim
illi ad

illi ad idem opus vendidisset, neque satisfacere illi Salomon per id tempus posset, de populi consilio Salomon ei xx oppida fruenda dedit, ut ex eorum vectigalibus & fructibus suum Hiramus seruaret: neque illa emptionis iure, & ut proprietarius possideret, sed tantum quasi *avvangelos*, aut certe eo iure quod Langobardi Pre cariam appellarunt. de quo in Dict. feudali cōmemorauimus. Cuius rei etiam argumentum extat, 2. Chron. 8, AEdificauit, inquit, oppida quæ Hiramus ei dederat, eaque ab Israeliis in coleda curauit. quibus ex verbis probabile est, non tantum Hiramum aliquanto post illa oppida Salomoni reddidisse, verumetiam quan diu ipse illa possedit, Israelios in iis propter varietatem religionis non habitasse.



Ex duobus Regis filiis, quorum alter ante ade ptum à patre regnum, alter postea na tus est, uter præferatur.

Q V A E S T I O II.

V
E T V S hæc quæstio est, & nobilitata inter historicos: primùm propter veterem Artemenis & Xerxis contentionem, quorum hic ex Dario, Regem iam facto, ille ex eodem priuato natus fuerat: itemq; propter

B. j.

illam alteram Cyri & Arsicæ, quorum hunc alter Darius Rex iam creatus, illum adhuc priuatus genuerat. Videndum est igitur quemadmodum utrunque in partem disputari possit. Nam pro posterius nato pugnare haec videntur. Primum textus in l. neque Dorothœum, 61. & l. doctitij, 63, l. neminem, 64, cum l. pen. & vlt. C. de decur. lib. 10. & l. ex libera, 6, C. de suis, & legit. in quibus omnibus concordissimè statuitur, ut filij post adeptam à patre dignitatem suscepiti, certis priuilegiis fruantur: antè vero natī, in pristina conditione maneant, neque illo iure frui possint. Secundus est in l. imperialis, 23, §. his illud, C. de nupt. vbi statuitur, ut liberi mulierum quæ à scenica vita sese Principis beneficio liberarunt, si quidem post liberationem suscepti sint, iure & priuilegio matribus concessi fruantur: sin prius natī sint, eius expertes sint. Tertius est in l. quicunque, 7, C. de princip. agent. in reb. vbi liberi eius cohortalis qui principatum agētium adeptus est, si post natī sunt, cohortali conditione soluuntur: sin antè, in pristina conditione remanent. Quartus est in l. eos qui, 65, D. de ritu nupt. quam Gordianus profert in l. & si, 6, C. de nupt. vbi matrimonium in prouincia contractum ab eo qui officium in ea gerebat, ita valere & iustum esse iubetur, si officio deposito in eadem voluntate perseuerarint: ut tamen prius natī liberi, iusti & legiti- mi non sint. Quintus est in l. senator. II, C. de dignit. vbi Imperatores statuunt, ut iij demum

clarissimatus iure fruantur, qui post adeptum à patre clarissimum suscepiti sunt. Sextum argumentum ex eo induci potest, quod quemadmodum is qui post alicuius mortem conceptus est, ei neque suus, neque cognatus dicitur (l. Titius, 6, & l. item prætor, 8, D. de suis & legit. l. 1, §. si quis, D. vnd. cognat. l. si quis filio, 6, §. 1, D. de iniust. rupt. & §. cùm autem, 7, Inst. de legit. hered.) ita qui ante adeptum à patre regnum conceptus est, Regi neque filius, neque adeò cognatus dici potest. Quò pertinet l. emancipatū, 7, D. de senat. vbi ante adeptam à patre senatoriam dignitatem conceptus, senatoris filius nō habetur. Nam isto modo disputari ex contrariis potest: Si filius post amissum à patre regnū pro Regis filio non numeratur: certè ante adeptum ab eodem regnum dici Regis filius non potest. facit l. diuo Marco, 11, C. de quæstion. vñ bi honoratorum quorundam pronepotes certis priuilegiis fruuntur, quæ tamen liberorum infamia & turpitudine amittuntur. item l. 3. D. de interd. & releg. vbi liberi eius cui ciuitas adimitur, ius omne quod per ipsius personam obtinebant (quale est regnum aut Imperium delatum) amittunt. quanuis alia iura quæ aliundē iis obueniebant, non amittant. Et secundum hanc disputationem Herodotus lib. v 11, Iustinus hist. lib. 11, & Plutarchus in Artoxerxe scribunt, cùm in Perside orta esset controuersia inter Artabazanem (vt Herodotus) siue Artemenem (vt Iustinus appellat) & Xerxē filios Darij

Hystaspis filij, de Persici regni successione: fortē tum ibi affuisse Demaratum Spartano regno electum, dixisseq; Spartanorum institutis filiū post adeptum à patre regnū natū alteri antege nito præferri. atque hanc ob caussam Xerxi re gnū adiudicatum fuisse. Nam in rei summa tres illi Scriptores consentiunt: cùm in aliis qui busdam minutioribus dissideant. Quod etiam Guicciardinus lib. hist. i. valuisse scribit, in contentione de Mediolanensi Ducatu inter Ludo uicum & Galeatium fratres: quorum hic ante adeptum à patre ducatum, ille post adeptum natus fuerat.

Deinceps igitur, quæ ab altera parte dispu tari possint, videamus. Primum autem profer ri solet l. senatoris, 5. D. de senat. vbi Vlpianus dilucidè scribit, Senatoris filium eum esse ha bendum, non modò qui ex patre in senatoria di gnitate constituto, verum etiam eum qui antea suscepitus est. Facit l. filij, 22, §. senatoris, D. ad mun. vbi tamen videndum est, ne pro QV O QV O T E M P O R E, vt in libris Flor. scriptum est, vulgatā scripturam E O T E M P O R E, quæ mendosa est, & apertam in Vlpiani disputatio ne discepantiam induceret, retineamus. Secun dum est ex l. 2, §. 1, D. de decur. & l. moris, 9, §. parentes, D. de pœn. vbi Papinianus & Vlpianus statuunt, legem quæ vetat decurionum filios atrocioribus suppliciis affici, etiam ad eos qui in plebeia familia suscepti fuerant, pertine te. Tertium induci potest, ex l. diui, 5, & l. cùm

quis, 10, & l. seq. C. de natur. lib. & Nouell. 89.
vbi quod statuitur, vt liberi in concubinatu suscepiti, per cōtractum matrimonium legitimorum numero habeantur, valere iubetur, siue solidi maneant, siue alij ex contracto matrimonio suscipiantur. Quartum ex l. cūm aduocatio. 8,
C. de aduoc. diu. iud. & l. 2, C. de aduoc. diu. iud. tit. seq vbi liberi eorum qui fisci aduocati fiunt, etiam ante adeptū illud munus geniti, à cohortali conditione eximuntur. Itaque Plutarchus in Artoxerxis vita scribit, cūm post Darij mortem hæc eadem controvërsia inter Arsicā Dario priuato, & Cyrum eodem Rege iam facto natum exorta esset, ac Parysatis mater in Cyri persona veterem illam Xerxis disputationem virgeret, Persas tamen Arsicæ regnum ad iudicasse. Quod idem Iosephus lib. Antiq. xvi, factum esse scribit ab Herode Iudæorum Rege, qui Alexandro & Aristobulo ex se post adeptū regnum genitis Antipatrum antè natum prætulit. quod tamen Herodis iudicium sibi non probari Iosephus non obscurè significat. Post etiam multis seculis idem in Hungaria vsiuue nisse Fl. Blondus, Decad. 2. lib. 6. & Mich. Ritiūs, lib. de Regib. Hung. 2. vbi seribunt, Bela Rege mortuo, Geysam priuato patre natum, regni hereditatem obtinuisse. Præterea circiter annum salutis d. ccccxl, eadem in Germania contentio exorta est, cūm Ottoni i, Romanorum imperium delatum est: quod frater eius Hēricus patre iam Imperatore natus, Euerhardi

Comitis Palatini, & Giselberti Lotharingiæ Ducis, aliorūmque principum suasu armis vindicabat. quam historiam Sigebertus in Chron. & aliij quidam perstringunt. Suggerebant ei (inquit Sigeb.) regnum magis competere illi in patris regno nato, quam Ottoni ante regnum nato. Sed cùm ad pugnam ventum est, victoria Ottoni regnum adiudicauit.

Nunc considerandum est, ecquidnam ex iuris ciuilis ratione constitui oporteat. Nam, si quidem attentionem adhibere volumus, facile intelligemus, maximam perulgatae istius disputationis partem nihil ad rem pertinere: quippe cùm h̄ic quæratur de iure hereditario, quod filiis post parentum demum mortem defertur: in illis vero locis agatur de iure singulari, & certis priuilegiis, quæ liberis etiam in vita parentum conceduntur. Hæc autem iura incerta esse, & arbitraria, atque ex principum beneficio & liberalitate pendere, cum ex omnibus suprascriptis locis constat, tum præcipue ex d.l. senator. II, C. de dignit. in qua Imperator Valentianus abrogat Vlpiani sententiam in d.l. senatoris. D. de senato. qua in sententia nonnullos ex Doctoribus fuisse constat. Nam si legatur, si SENATOR, hoc modo incœpta oratio quò referatur non habebit: cùm posterius non T A M E N sed A V T E M subiunctum sit. considerandumque illud verbum est, M A N E A T : quod in fine legis usurpatur, & ad eos restrictè pertinet, qui in paterno honore & dignitate suscepti

sunt. Quare superest , vt ad illud extremum respondeamus : quo dictum est, quemadmodum is qui post amissum à patre regnum natus est, Regis filius non est : similiter neque is qui antè à patre Rege suscep̄tus est. Intelligendum est igitur, aut scriptam ea de re legem esse , vt apud Spartanos, aut non scriptam. Si scripta est, tum disceptatio ex verbi ambiguitate nascitur: cùm aut ita scripta profertur, Filius Regis natu maximus, isque solus heres esto: aut ita, Primogenitus Regis heres esto. Nam aliud est Regis filium esse, aliud ex Rege natum: aliud senatoris filium , aliud ex senatore: aliud Decurionis, aliud ex decurione. Item vt aliud est filium esse liberi, aliud ex libero natū: ita aliud serui, & ex seruo, l.2.C.de libert. & eor.lib. Idque luculent Marcellus ostendit in l.Titius, 25, D.de testam.mil.vbi scribit, testamentum à pagano factum, quanuis idem postea miles factus sit: tamen nisi militiæ tempore se id valere velle dixerit, iure militari non censeri: quia constitutionibus Principum non militum testamenta, sed quæ à militibus facta sint, confirmantur:cōtráque in l.si miles, 92 ad leg.Falc.testamētum post annum missionis factum, iure militari nō censendum. quò pertinet l.de eo qui, 10, §.1, D. de fals.& l.in delictis, 4, §.1,& l. quod ait prætor, 31, in fin. D. de noxal. act. Cùm igitur scripta lex sic profertur: Filius Regis primus heres esto:satis constare , etiam cum ad hereditatem vocari, qui ante adeptum à patre regnum natus

est. At cùm ita profertur, Primogenitus Regis: quod perinde est acsi scriptum esset, Rege genitus: tum is demum admittendus est, qui patre iam Rege creato natus est. Quid igitur si scripta lex nulla est? Tum verò ad æquitatem naturalem decurrentum est: & ex inductione similiū hereditatum hoc modo constituendum. Omnia bonorum à patre quæsitorum hereditas, cuiuscunque generis sint, hoc est, siue corpora, siue iura, itemque siue allodia, siue feuda sint, æquè ad filios ante illorum acquisitionem genitos, vt ad alios postea susceptos defertur: cùm omnia parentes liberis suis ex voto parēt: I.nihil interest. 50, De bon.lib.& l.scripto, 7, in fin.D.si tab.test. quam regulam ad eos restrin gere qui post parta bona gignerentur, extre mæ esse amentiæ. Itaque quod permultis Feudalis iuris locis statuitur, vt filij & nepotes in feidis Ducatus, Marchionatus, Comitatus, ceterorūmque generum inferiorum succedant, nunquam quisquam dubitauit, etiam ad eos filios nepotēsve pertinere, qui ante inuestitūram adeptam suscepisti fuissent: nō magis quam quod statuitur in l.hi quibus, 6, C.de fund.patr. vti quibus patrimoniales fundi donati sunt, eos ad suos liberos hereditate trāsmittant. adeo vt iura immunitatum & vacationum & sepulc rum alicui & ipsius posteris attributa, indistincte & æquabiliter ad liberos quo cunq; tempore natos pertinerent. l.4, D. de iur.immunit. & l.vocatio.13, D.de muner.& hon.l. vel quod, 6,

D. de relig. & sumpt. funer. vbi leges generaliter & indistincte scriptæ, generaliter accipienda sunt. Quæ cùm ita sint, consentaneum est, cùm aliarum omnium hereditatum & successionum hoc ius sit, idem quoque in regnorum hereditatibus seruandum esse. Secundum argumentum induci potest ex natura iuris antè natu-
to quæsiti. Satis constat, ius alicui ex sua per-
sona quæsitum, propter aliquem externum & ad-
uentitium fortuiti casus cuentum (id est, qui
personam ipsius non attingat) et si diminua-
tur, tamen non penitus extingui. veluti ius Sui-
tatis filio quæsitum, superuenientibus aliis quā-
tumuis multis liberis, immunitur, sed non ex-
tinguitur. Quare si Xerxi, dum solus extabat,
quæsitum succedendi ius erat, iniquissimum
esset propter superuenientem extrinsecus alio-
rum nativitatem id ei eripi. Quæsitum autem
illi ius fuisse, ex eo patet, quia si natus Arteme-
nes nō fuisset, successio regni summo omnium
cōsensu delata ei sine cōtrouersia fuisset. Quod
autem nonnulli disputant, si regnum heredita-
rium est, prius natum preferendū esse: sin autem
suffragiis armisve adeptum, nequaquam: planè
absurdum est. Nam siue hereditarium, siue suf-
fragiis delatum est, priori genito hereditas de-
betur: cùm ius sanguinis quod in legitimis suc-
cessionibus spectatur, ipso nativitatis tempo-
re quæsitum sit. veluti, si dum Titius regnū ob-
tinebat, nepos ei ex filio nascatur: ac tum dein-
de alterū filiū suscipiat: pōst Titius decedat: cui

dubium est quin nepos secūdo filio patruo suo
sit præferendus? arg. l. emancipatum, 7, in fi. D.
de senat. non magis quām si dum è duobus fra-
tribus Titio & Mævio, Titius regnum obtine-
ret: Mævius filium suscepisset. deinde Titij mor-
te Mævius regnum adeptus esset: cui dubiū est
quin primus Mævij filius, alteri post regnum à
patre adeptum nato sit præfrendus? Alioqui
cùm in iis regnis quæ sunt hereditaria, deficien-
tibus filiis, proximi agnati admittātur: eos qui
remotissimo gradu essent, etiam filiis aut fratri-
bus ante adeptum regnū natis anteferri, contra
iura omnia proximitatis graduū. l. 2, D. de suis
& legit. §. 4. De legit. hered. & ius filio suo quæ-
situm per aliorum postea natorum agnationē
non adimatur. l. 3, §. ex his, D. de iniust. rup. Iam
verò etiamsi vel suffragiis vel armis regnum ade-
ptum esset, tamen eadem hoc quoque casu ra-
tio valeret. quod hoc modo facile intelligetur.
Nam cùm in huiusmodi controuersiis non du-
bitetur, quin regnum posteaquam in patris per-
sonam incidit, hereditarium factum sit: ne illud
quidem dubitari potest, tam ante adeptum re-
gnum, quām post adeptum natis hereditarium
factum esse. Itaque vt reliqua bona, tam cor-
poralia quām iura, tam allodia quām feuda, à
patre quæsita, æquè ad priores vt ad posterio-
res liberos pertinent: l. 3, & l. si quis prioris, 8, C.
de sec. nupt. ita consentaneum est, regni heredi-
tatem æquè prioribus vt posterioribus despō-
sam & destinatam esse.



Rege mortuo, cuius nepos ex primo eius filio de-
mortuo, & alter eiusdem filius extant,
utri hereditas deferatur.

Q V A E S T I O III.

H V I C quæstioni locus est apud
eas demum gentes ac nationes,
quæ in hereditatibus ætatis præ-
rogatiuam seruant. nam iure Ro-
mano , nullus ei relictus est : pro-
pter legem xii tab. quæ iubet, vt si quis ex suis
heredibus maribus suis heres esse desierit, libe-
ri eius & cæteri in locū suorum sui heredes suc-
cedant: ac tum hereditas non in capita , sed in
stirpes diuidatur.l.2,l.3,l.4,C.de suis & legit. &
l. posthumum,13, D.de iniust.rupt.item,§.cùm
filius,6,& §.vlt.Instit.de hered qui ab int.l.1,§.
si filius,D. de suis & legit.vbi nepos ex demor-
tufo filio vnà cum altero filio superstite pariter
æquabilitérq; succedit. Et in hanc sententiam
VVitichindus Saxo lib.hist.2 scribit,cùm circi-
ter annum D C C C X L I I , in Germania con-
tentio exorta esset inter patruos & nepotes de
legitimarum hereditatum iure , tum eius disce-
ptandæ caussa Imp.Ottonem primum comitia
Germanica indixisse: deinde cùm in comitiis
inter principes & ciuitatum legatos conuenire
non posset,duello rem commississe: quæ fuit il-
lorum temporum consuetudo frequentissima.

Vicit (inquit V Vitichind⁹) pars, quę filios filiorum computabat inter filios, & firmatum est ut æquabiliter cum patruis hereditatē dirimeret. Idémque scribit Sigebert. in Chron. Ottonis I, sub an. 942. vbi tamē pro P A T R V I s virtuose legitur P A T R I B V s. Apud exterias verò nationes creberrimæ hac de re contētiones exortæ sunt. Plutarchus in vita Lycurgi scribit, cùm Eunomius Lacedæmoniorum Rex duos filios haberet, Polydectem & Lycurgum: Polydectes autē nullo filio superstite decepsisset, atque ob eam causam, Eunomo mortuo, regni hereditas Lycugo delata fuisset, regnassetque mensis circiter VIII: pōst, cùm Polydectis vidua filium perisset, Lycurgum ei coronam cessisse. quod idem Iustinus, variis tamen nominibus, scribit lib. hist. 3. Pausanias verò lib. 3. scribit, Cleomenes Lacedæmoniorum Rege mortuo, litem de regni hereditate coortam inter Areum, ex Acrotato primo filio demortuo nepotem, & Cleonymum secundum filium, ipsius Arei patrum. Senatum autem Spartanum Areo regnum adiudicasse. Polydorus Virg. in hist. reg. Angl. scribit, Eduardo Anglorum Rege mortuo, circa annum 1350. Anglos Iohannem ex primogenito filio demortuo nepotem, reliquis Eduardi filiis Hemoni & Thome prætulisse. Paul. AEmilius in vita Caroli Crassi, Hanno, inquit, dominatum solus inuaserat, expulso Ercembaldo adolescentulo, fratri maioris filio, antea defuncti: vt in magnis imperiis iure cōtrouerso, vtrū

nepos ex maiore filio antea defuncto ad auitā hereditatem: an minor filius legibus vocetur. Hanno coactus est positis armis iudicio procerum stare: adolescenti idem ius datum, quod patri, si viueret, adiudicaretur. Ex contraria parte contraria exempla historiæ suppeditant. Pro copius lib. bell. Vandal. 3, scribit, Gizericum Vandalarum Regem natu grādem testamētum fecisse, iussisséq; ut qui sibi sanguine proximus esset, & ex his qui natu maximus esset, is sibi heres esset. Erant ex Gensone primo filio demortuo, nepos Gundabundus & Honoricus filius secundus. regnum Honorico delatum est. Aimoinus de Reg. Frāc. lib. 3, cap. 62, cūm Clotarius Francorum Rex quatuor relictis filiis decessisset, quorum duo relictis filiis obierant, scribit Guntrannum filium prælatum fuisse Childeberto, Sigeberti fratris filio. Conr. Vecerius vir doctissimus, qui Henrici v i i vitam literis mandauit, in eandem sententiam ita scribit, Interea Carolus Siciliæ Rex secundus rebus humanis excessit. plures huic filij: nempe natu Carolus, Martellus cognomine, & Robertus. Martellus viuo etiamdum patre, mortem, sed filio relicto, obiit. Qua in specie exque facto ipso larga disputandi materia iurisconsultis est nata: Nepōsne antecedere iure possit patruum in successione auita. Sed & responsis prudentū, & pontificia pronuntiatione quadam Robertus annixus, compendium hereditatis obtinuit: paternaque necc comperta, mox Auenio-

nem properat. Ibi nullis non modis Clementis amicitia comparata, adeo promouit, ut Rex vtriusque Siciliæ appellaretur. Hæc ille. Porro ad hanc rem pertinere Cl. pastoralis, De re iudic. Doctores plerique existimant. Sed neq; textus ad eam pertinet, & eius auctor est non Bonifacius, sed Clemens V. Denique Mich. Ritus lib. Reg. Sic. 3. disertè scribit, ad eum Robertū pertinuisse, cui Imp. Fridericus sua sententia regnū abiudicarat: quam sententiam Clemens rescidit. Bartholus autem in auth. post fratres, C. de legit. hered. illius sententiæ rationem hanc profert, quia Regnum Apuliæ feudum erat ecclesiæ Romanæ: qua de causa non successionis iure Roberto regnum adiudicatum, sed ex domini concessione & inuestitura. quam rationem scribit ab se præter cæteros Doctores excogitatam. Verum ut ex iure nostro remotis auctoritatibus disputemus, & ne vagari cogatur oratio, certa, in qua quæstionis termini constant, legis formula proponatur his Latinis concepta verbis, Si Rex moritur cui plures liberi sint, tum qui è liberis virilis sexus natu maximus erit, is potissimum heres esto. Aut illis vñstatis, Si Rex moritur, filius eius primogenitus regni heres esto. Proponatur secundo loco lex his concepta verbis, quibus Procopius usus est, Si Rex moritur, qui ei genere proximus, & natu maximus erit, regni heres esto. Si lex Latinis verbis concepta est, tum necessariò distinctio adhibenda est. Nam aut nepos ante patruū natus

est, aut postea. Si ante patruum natus est, dubitandi caussa nulla est, quoniam & scripto legis & sententia iuuatur. quippe, cum appellatione liberorum nepotes sine dubio contineantur. I. liberorum, 220, de verb. sign. Sin autem postea natus est, tum disceptatio nascetur ex scripti & sententiæ contentione. Nam scriptum aperte pugnat pro patrō. Ac scitum est quod Strabo lib. 16 scribit, apud Nomadas fratres fratum filiis anteferri, atque iis honoris prærogatiuam deferri: vbi caussam subiungit, ætatis prærogatiuam: ἀδελφοὶ οἱ μικρότεροι τὸν τέλον, καὶ τὰς πρεσβυτηρίας. Sententiam igitur nepos urget iure successoris, quam vulgus representationem appellat: quasi lege XII tab. & ciuili iure nepos in filij demortui patris sui locum gradumque succeedēs, iam nō suæ, sed patris personæ iure nitatur. Sed intelligendum est, in prærogatiua ætatis representationem locum non habere. Cuius rei triplex ratio est: primū, quia ius primogeniturae propter eos demum constitutum est, qui non suæ personæ, sed parentis iure nituntur: quales sunt, qui sui heredes successione facti sint, ut nepotes & pronepotes. Qua de caussa hereditas inter illos non in capita, sed in stirpes diuiditur d.l.2. & l.3. C. de su. & legit. quia fuitas non in illis primū, sed in illorū patribus constituit. Ac proinde cum per successionem ac representationem ius illud adepti sint, non æquum esse plus eis, quam eorum patri, iuris attribui. Vbi autem heredes non ex parentum, sed ex sua

ipsorum persona ius sumunt, neque successio-
ni (vt dixi) neq; repræsentationi locus est. Quid
enim attinet alieno iure niti, cū meum ac pro-
prium habeam? Itaque per uulgata iuris ciuilis
regula est, in agnatis successionem non esse: ac
proinde hereditatem inter illos, non in stir-
pes, sed in capita diuidi. l. 2, §. 1, D. de su. & legit.
& l. 3, C. de legit. her. veluti, si tres fratres nati
fuerint, primus, secundus, tertius: primus, uno
filio relicto decepsit: secundus, duobus: heredi-
tas tertij in tres partes diuidetur. & quanuis per
Nouellam Iustin. c x v i i i, & c x x v i i, in
fratrum filiis repræsentatio inducta sit, tamen
propter illud singulare ius (quod Iustinianus
disertè *αερόμων*, id est priuilegiū, appellat) non
iccirco legis ratio sublata est. Sic igitur conclu-
demus: Repræsentatio propter eos instituta est,
qui non suæ, sed alienæ personæ iure nituntur:
quia cùm per se partem obtinere non possint,
alieno beneficio eam assequuntur. Prærogatiua
ætatis non alterius, sed ipsius, qua de agitur,
personæ iure nititur. Ergo in ætatis prærogati-
uam repræsentatio non cadit. Præterea repræ-
sentatio instituta est propter communionem
sue participationem cum altero. Nepotes e-
nim ob eam causam in fratribus sui demortui lo-
cum succedunt, vt cum patruo suo participant:
& partem suo patri debitam ac destinatam ob-
tineant, quam partem hereditatis per se ac suo
iure obtinere non possent. Vbi autem nulla cō-
munio est, locus repræsentationi nullus est.

Iam

Iam verò in iure primogenituræ communioni locus nullus est. Vnus enim solidum obtinet: neque duo primi esse possunt. Ex quo sequitur, vt in iure primogenituræ repræsentationi locus sit nullus. Postremò repræsentatio nihil est aliud, nisi fictio. Fictio in ætate non cadit. l. cùm de ætate, 13, D. ex probat. l. vlt. & pass. C. de his qui ven. ætat. impet. Ergo in iure primogenituræ repræsentationi locus est nullus. Nunc consequens est, vt ad alterius legis formulam accedamus: Si Rex moritur, filius eius primogenitus heres esto. Ex verbo Filius probabile est, patruū etiam natu minorem, tamen nepoti natu maiori præferri. quoniam (vt Vlpianus scribit) aliter filij, aliter nepotes appellantur: neque filiorū vocabulo hi cōtinētur. l. 6, D. de test. tut. vbi tutores dati filiis, dati nepotibus nō intelliguntur. Neq; à verbis legis, nisi aperta mens & sentētia repugnet, recedendū est. l. prospexit, D. qui & quib. l. nō aliter, de legat. 3. neq; obstant l. filij, 84, l. iusta, 201, & l. liberorum, 220, D. de verb. sig. vbi scribitur, naturam nos docere filiorum appellatione omnes qui ex nobis descendunt contineri. nec enim dulciore nomine appellari nepotes posse, quàm nomine filiorum. Tum enim id verum est cùm filiis suum ius integrum atque incolume seruatur, ac nulla in re læditur: veluti, si lex sit, vt filius apud hostes suscep̄tus, postliminio iura filij cōsequatur: l. apud hostes, 9, D. de capt. etiam de nepote intelligetur. & Macedonianum, quanuis de filio

nominatim scriptum sit, tamen etiam de nepote intelligitur. I.filiū, 14, D.ad Maced.I.penult. C.cod. Item s. c. ne tutor suam pupillam filio suo nuptui det.I.s. c. 59, D.de ritu nupt. & hoc pertinet I.Lucius,85,D.de hered.inf. I. cùm a uus,102,D.de cond.& demonst.I.cùm acutissimi,13,C.de fideic. Itaque longè æquissimum erit, vt quanuis dictum sit Filius, tamen si vnu s natus fuerit, nepoti ex eo regni hereditatē deferri: quia tum nulla filio fit iniuria. Multum etiam refert Græca lingua dicantur γοι, an τέκνα. Nam horum nomine nepotes continentur, illo non.I.2,§.non solūm, D.de excus.

Supereft videamus, si nulla lex scripta extet, quid iuris statuendum sit. De quo sic definitum arbitror, vt quemadmodum apud Procopium scriptum est, duplex prærogatiua exquiratur: gradus & ætatis: quia verisimile est, patrifamilias insitam à natura hanc esse mentem & votum (vt iurisconsulti loquuntur) vt qui & sanguine proximus, & ætate maximus esset, id est qui & consanguinitate & ætate antecederet, is præferretur.



Ex tribus fratribus cùm secundus relicto filio de-
cessit, uter in primi, qui Rex mortuus est,
hereditate præferatur: frater huius
filius, an frater tertius
superstes.

Q V A E S T I O I I I I .

SE Q V I T V R altera quæstio, Cùm
è tñibus fratribus, quorum primus
Rex est, secundus relicto filio mor-
tuus est, vtri prærogatiua debea-
tur: secundine filio, an tertio pri-
mi fratri. Nam hæc quoque nihilo paucioribus
Doctorum contētionibus agitata est. Primùm
igitur legis formula cōstituenda est, Si Rex mo-
ritur, cui filij nulli extent, tum agnatus proxi-
mus natu maximus regni heres esto. Hæc for-
mula duplēm in successore prærogatiuam &
propinquitatē requirit: vnam gradus, alte-
ram ætatis. Prior est, vt ex naturali æquitate &
iuris R. ratione gradus prærogatiua in agnato-
rum successionibus seruetur. l.z, D. de su. & le-
git. Altera est, vt cùm plures in eodem gradu
sunt, tum qui ætate reliquis præstat, iis præfera-
tur. Constat autem tertium gradu propinquio-
rem esse. Quare si modò alteram quoque ætatis
prærogatiua simul habeat, & natu maior sit
quam fratris filius, dubium esse nō potest, quin
ei sit ytroque hoc nomine præferendus. Idquæ

C. ij.

eo magis, quòd antiquo Pandectarum & Codicis iure nulla fratri filio (vt superiorib. capit. docuimus) successio, siue repræsentatio permittebatur. l.3, C. de legit. hered. & quanquā nouo ac singulari Iustiniani iure contra ciuilē rationē filius fratri admittatur, Nouell. 118. & Nou. 127. tamen cùm apertè ac nominatim Iustinianus scribat, illud esse priuilegium, cōq; nomine ius illud disertè appelleat, d. Nou. 118. §. reliquū: satis constat, neque repræsentationem illo speciali priuilegio inductam, neq; cætera iura cōmunia tacitè abrogata fuisse: arg. vulg. l. præcipimus, C. de appellat. & l. eas obligationes, 8, D. de cap. minut. veluti vt non modò in fratum hereditate, sed ne in alio quidem iure, quod hereditatum exemplo inductum est, repræsentatio sit: sicuti in tutela patronorum legitima. Nam si duo patroni sint, & vñus reliquo filio decesserit, solus patronus superstes tutelā obtinet. Item si alter ex patronis filium, alter ne potem reliquerit, quanvis nepos in aui familia primus ac proximus sit, tamen ad solum filium tutela exemplo hereditatis deferetur: post filiū, tunc ad nepotem. l.3, §. 1, D. de legit. tutor. l. si libertus, 23, §. 1. de bon. libert. quod eodem modo de assignatione liberti traditur, in l. vtrum portio, 5, D. de assign. libert. quæ omnia iure speciali & certo illo priuilegio, quod restrictè ad hereditates pertinet, abrogata non fuisse constat. Verùm hæc quidē hactenus, de eo patruo, qui fratri filium vtraque prærogatiua & gra-

dus & ætatis antecedit. Quid igitur si secundi filius ante illum natus fuerit? nihil ne prærogativa ætatis illi proderit? nihil omnino: quia lex gradus prærogatiuam ætatis prærogatiuæ anteponit: ut apud Procopium bell. Vand. 3. scribitur. Constat autem tertium secùdo esse gradu, secundi autem filium, tertio. Vbi autē duæ qualitates, siue conditiones exquiruntur, non satis est vnam adesse. l. quoties, 15, C. de rei vindic. & l. 1, §. 1. D. de legit. tut. Quod cùm ita sit, sequitur etiā illud, ut si tres fratres sint, primus, secundus, & tertius: quoruū tertius nepote relicto ex filio demortuo decesserit, tum postea secundus relicto filio decedat: nepos tertij, quanuis prærogatiuam habeat, tamen quia gradu remotior est, sit postponendus. arg. d. l. 3, §. 1. D. de legit. tutor. & l. vtrum portio, 5, D. de assig. libert. Secūdi ergo filius, quia gradu proximus est, preferetur: qui propterea vtranque prærogatiuam habere intelligitur, quia si fratres haberet, natu maximus inter illos esset. Et quanuis nullos habeat, tamen is quoq; proximus dicitur, quē nemō antecedit, quanuis solus sit. l. 1, §. proximus, D. vnde cognat. l. 2, §. hereditas, & §. legitima, D. de su. & legit. Neq; verò illud prætermittendū videtur, quod vbi de feudali successione agitur, ius repræsentationis à Iustiniano in fratum liberis inductum, locum non habet: quanuis id vulgò credatur ex lib. Feud. 2. tit. II, §. 2: vbi statuitur, ut deficiētibus filiis vocentur fratres cū fratum præmortuorū filiis. Nam (ut illo loco

exposuimus) cùm regula sit, vt in feudis nouis
fraterna successio nulla sit: non agitur de feudo
fratris, cui frater succedat: sed de patris, cui fi-
lius: neq; de patrui, cui fratri filij: sed de aui, cui
nepotes succedat. deniq; nō alia eius loci sente-
tia est, quām eius regulē, qua traditur, Auo mor-
tuo nepotes ex filio demortuo vnā cū filio su-
perstite, id est patruo suo, in stirpes succedere.
lib. I. tit. I. §. 3. & tit. 8. & tit. 19. §. si quis miles. &
in I. Conradi, §. 3. quæ extat in Lombard. lib. 3.
tit. vlt. Ex quo intelligitur, si duo ex demortuo
filio nepotes essent superstites, hereditatem in
stirpes, non in capita diuidendam esse. lib. I. tit.
8. & tit. II.



*An ciuitas bello capti, si in libertatem vindic-
tur, iura quoque sua pristina omnia
recuperet.*

Q V A E S T I O V .



S P E R A & vehemens quæstio
hæc appellatur à Quintiliano lib.
5, cap. 10, vbi exemplum hoc pro-
ponit, Cùm Thebas euertisset A-
lexander, inuenit tabulas, quibus
centum talenta mutua Thessalis dedisse The-
banos, continebatur. Has, quia erat usus com-
militio Thessalorum, donauit his vltro. Postea

restituti à Cassandro Thebani reposcunt Thes-
salos. Apud Amphictyonas agitur. Nunc quæ
dici in utrque partem possint, videamus. Ac
primum pro Thessalis hoc pugnat, quod cre-
ditor cautionem debitori reddens, pacisci de
non petendo intelligitur. l.2, D. de pact. l. mor-
tis caussa, 18, §. Titia, D. de mort. causs. Alexan-
der autem creditoris in locum successit, cautio-
nisque illius est dominus: quia bello parta vi-
ctoris fiunt. l.5, in fi. & l. 7, D. de acq. rer. dom.
Secundum argumentum est huiusmodi, Eadem
est vis solutionis imaginariæ, hoc est pacti de
non petendo, & acceptilationis, quæ veræ &
naturalis. l. solutionis, 54, & l. prout, 80, D. de
solut. Constat autem si Thessali pecuniam Ale-
xandro soluissent, liberatos eos sine dubio fu-
turos fuisse. l. si urbana, 55, D. de cond. inde. vbi
inquilinus prædoni soluens liberatur. Tertium
argumentum est, quod ciuitas capta, propter
amissam libertatem, capite minuta videtur, &
quasi mortua. l. si vsus fr. 21, D. quibus mod. usus
fruct. amitt. ac proinde restituta, non illa eadem
vetus, sed alia & noua videtur: quemadmodum
de homine seruo liberato dicitur: in l. seruus,
27, D. de adim. legat. l. qui res suas, 98, §. vlt. D.
de solut. Contrariam tamen Thebanorum dis-
putationem probabiliorem esse arbitror. nam
pro iis hoc pugnat: primùm quod iure quasi
postliminij ciuitas in libertatem restituta, ea-
dem, eiusdemque iuris & status esse fingitur: vt
de agrorum captorum, & liberatorū proprie-

tate traditur: in l. si captiuus, 20, §. 1, D. de capt. & de eorūdem vſufructu. in l. si ager, 26, D. quib. mod. vſusf. amitt. deniq; de omni iure per postliminium recuperato, in l. in bello, 12, §. codicilli, vers. cætera, D. de capt. quo eodē modo quaſi postliminium fingitur in locis sacris & religiosis. l. cùm loca, 36, D. de relig. & ædificiis in ripa fluminis positis. l. in tantum, 5, D. de rer. diuīs. vel in littore maris. l. quod in littore, 14, D. de acq. rer. dom. Secūdū argumētum est, quòd armis & manu militari capta, nisi eadem manu retineri non possunt. itaque simulatq; captiuus ex hostium potestate, quoquomodo se subduxit, iure postliminij liber est. l. in bello, 12, & pass. D. de capt. Quare vt Thebarum dominus propter ius belli Alexander fuerit, tamen iis restitutis ius illius intercidit: ac propterea postliminij iure Thebani suum pristinum statum recuperant. quod idem dici ſolet de iis rebus omnibus, quæ occupatione acquiruntur: vt simulatque amissæ ſunt, in pristinam cauſam reuertantur, veluti aues. & feræ. l. 3, & l. 5, D. de acq. rer. dom. Tertium argumentum est, quòd quæ vniuersitati debentur, quādiu quilibet vnuſ ſuperest, ei debentur. l. ſicut, 7, §. vlt. D. quod cuiusq; vniu. Quare cùm Thebani non omnes in Alexandri potestatem venerint, multietiam ſuperrſint, cōſentancum videtur, Theſſalos iis obligatos manere. Superest vt ad ſuperiores obiectio-nes respondeamus. Quantum igitur ad primam attinet, neganda eſt aſſumptio: quoniam Ale-

xander non vniuersalis & iuris successor est, sicut
uti heres, aut bonorum possessor: sed particula-
ris, & rerum singularum, vt emptor aut dona-
tarius: quia victores earum demum rerum do-
mini sunt iure belli, quæ manu capi possunt, ac
proinde corporales sunt: cum totū illud ius in
manu, & occupatione, & captiuitate positū sit.
d.l.5,in fi.& l.transfugā, si,D.de acq.rer.dom.l.
1,D.de acq.poss.Ad secundam obiectionem di-
stinctio adhibenda est: si Thessali soluissent, v-
trum sua sponte, an terrore adducti soluissent.
nam priore casu nihilo magis liberati fuissent,
quam qui possessori hereditatis soluūt, l.siquid,
31,§.vlt.D.de pet.hered.aut qui falso procura-
tori.l.qui hominem, 94,§.si nullo, D.de solut.
aut qui offerenti se negotiis alienis.l.siquis of-
ferenti, 58,D.cod.nam quæ tyrannidis tempo-
re gesta sunt, sublata tyranide nullius momēti
sunt.l.decernimus, 15,C.de sacros.eccl.Quod si
belli & armorum metu territi, & ab Alexandro
flagitati soluissent, propter iustum terrorem li-
beratio cōtigisset.arg.l.Fulcinus, 7,§.quid sit,
D.quib.ex c.in poss.Solutio verò ad l.si vrba-
nam, ex eo facilis & expedita est, quod inquili-
nus cum prædone contraxerat. Tertiæ autem
obiectioni superius responsum est, disputandi
quidē subtilitate non eandem Thebanorum ci-
uitatem videri: sed propter ius postliminij, & le-
gis Corneliaz fictionem, pro eadem prorsus ha-
beri: quod etiam in religionis caussa dictum est
ex l.cum loca, 36,D.de religios.



*An ei qui testamenti tempore in rebus huma-
nis nondum est, relinquere aliquid
testamento possit.*

Q V A E S T I O V I .

VI V S quæstionis tractatio, quæ inter Pragmaticos nostros vſita ta est, non modò illorum imperitiam patefacit: verumetiam eorum adolescentum simplicitatem coarguit, qui ex illorum lacunis iuris ciuilis disciplinam hauriunt. Remotis igitur illorum delirationibus, intelligendum est, quæſtione hanc ad posthumos pertinere: quorum duo genera sunt. nam alij sunt sui, alij extranei. Sui posthumi sunt, qui si ante testatoris mortem nati fuissent, sui heredes fuissent. §.3. Inst. de her. qui ab int. def. alieni sunt, qui, si nascerentur, inter suos heredes testatori futuri non essent, siue agnati, siue cognati, siue omnino extranei ſunt. §. posthu mo, 25. Inst. de leg. heredit. Secundò illud scire oportet, antiquo iure, hoc est ante legem Velleam, non modò extraneis posthumos alienos instituere non licuisse, sed ne suos quidem ipsis parentibus. l. Gallus, §. pen. D. de lib. & post. vbi Scæuola dilucidè & perspicuè hoc scribit, & legis Velleæ primo capite permisum fuisse ascribit, vt liceret institui nondum natos. Certum enim testatoriis cōſiliū ac iudicium esse oportet.

I. qui liberum, 8, §. vlt. D. de vulg. & pup. subst. §.
posthumus, §. incertum, de legat. Qua de caussa
incertæ personæ relinquī testamento non po-
test. I. sciendum, 70, D. de verb. sig. In eo verò
qui natus nondum est, multa incerta sunt. Pri-
mùm an nasciturus sit: deinde vtrius sexus: po-
stremò quot nascituri sint, cùm re incerta de
tergeminis statuatur. I. 3. si pars her. pet. Itaque
quod ei qui testamenti tempore in rebus hu-
manis esse desiit ascribitur, pro non scripto ha-
betur. I. pen. D. de his quæ pro non script. hab.
I. 1, §. cum triplici, C. de cad. toll. Deinde Paulus
hanc caussam affert, quia cùm aliquid testamē-
to datur, esse debet is cui detur: id est, in cuius
persona donatio consistat. Qua de caussa sta-
tuit, legatum per codicillos, ei qui testamenti
tempore in rebus humanis non erat, nullius
esse momenti. I. quidam referunt, 14, D. de iur.
codic. quod eodem modo de donationibus sta-
tuendum esse, vt nondum nato donatio facta
nullius momenti sit, Papinianus apertè often-
dit, in I. Seia, 42, D. de mort. caussa donat. quo-
niam, inquit, in eius persona consistere donatio
atque initium accipere non potest. Ac similiter
statuit, sententiam aduersus eum dictam, qui in
rebus humanis non est, inefficacem esse. I. 2. D.
quæ sent. sin. app. hęc igitur cùm ita essent, vtili-
tatis publicæ caussa, ne testamēta posthumorū
agnatione rumperentur, institutum est vt suos
posthumos instituere liceret, si post mortē na-
scerentur: extraneos, si viuēte testatore, ex lege

Vellea.d.l.Gallus, & apud Vlp. cap. fragm. 22.
Sequitur vt de alienis posthumis differamus, de
quibus apertè Iustinianus scribit in §.1, de bon.
poss.eorum institutionem iure ciuili non valuiſ
ſe:cuius rei ratio ſuperius exposita eſt.A præto-
re tamen ita confirmatam fuifſe , vt bonorum
poſſeſſionem ſecundum tabulas impetrare poſ-
ſent.quod ita intelligendum eſt, ſi modò viue-
te teſtatore in vtero fuiffent.l.3.D.de bon.poſſ.
ſec.tab.& §.tutor,26,de leg.l.poſthumus,36,D.
de inoff.teſt.quoniam qui in vtero eſt, cum de
ipſius coſmodiſ agitur, pro iam nato numera-
tur.l. qui in vtero,7,D.de ſtat.hom. Ex quo in-
telligitur , ei qui teſtamenti tempore nondum
conceptus erat, relinqui teſtamento non licuiſ-
ſe, propter eam cauſam quam ſuperius expo-
ſuimus, quod in donatione non modò perſonā
eſſe oportet, quæ donet : verū etiam quæ do-
nationem recipiat, & in qua donatio conſiſtat,
d.l.quidā referunt, & d.l.Scia.Prætor igitur be-
nignè cū eo qui in vtero erat agebat, & ventrē
in poſſeſſionem mittebat.l.1,§. ſi filius in ado-
ptionē, & l.extraneo,6,D.de vent.in poſſ.mitt.
Quāquam poſthumorū, qui legitimi & agna-
ti erant, veluti ſiquis fratri poſthumus erat, aut
in matris teſtatoris vtero, ius erat multo præ-
ſtantius. nam illi etiam ab in teſtato admittie-
bantur.l.pen.D.de leg.l,& l.1,§.pen.de leg.3.In
poſthumis autē extraneis memorabile eſt, quod
ſcribitur in l. ſiquis poſthumos,9,§. ſed ſi ex ea,
D.de liber. & poſt.Poſthumos ex ea quæ alteri

nupta est turpiter institui: quoniā hæc erat formula, Si quis mihi ex illa nascatur. At ex vidua posthumus institui rectè poterat. l. posthumū, 27, D.eod. Positum igitur illud sit, de quo dubitandi cauſa omnis sublata est, ciuili iure alienis posthumis nihil neq; institutionis, neque legati nomine relinqui licuisse: iure prætorio licuisse. ac proinde fideicommissum vtiliter relinqui potuisse. l.5,6,7, D.de reb.dub. quoniam fideicōmissa iuris prætorij sunt: vt inter omnes constat. Pòst vero Iustinianus constituit, vt etiam alienis posthumis, & hereditatis & legati nomine relinqui liceret: denique vt cum iis testamēti factio esset. §.posthumo, 25, de legat. Et quoniam sola voluntas in fideicommissis seruatur, cōsentaneum esse, non modò posthumis, qui in vtero erant mortis testatoris tempore, verum etiam iis qui concepti nondum erant, relinqui per fideicommissum licuisse, d.l. pen. de leg. l. Titia, 85, D.de cōd. & demōst. l. cūm pater, 77, §.pen.de leg. 2, l. in annalibus, 22, C. de legat. adeo vt etiam cius qui nōdum natus est fidei committi posset, non modò qui natus nobis successorius est, vt in l.1, §.pen. D.eod. verū etiam qui planè alienus & extraneus futurus est. l. si ita fuerit, 9, D.de leg. 3. Quę cùm ita sint, difficile dictu est, probabilem videri Nicolai Vallæ senatoris Parisiensis sententiam, aut eius qui postea suppresso nomine hanc questionem totidem propè verbis tractauit: vt ei qui in rebus humanis non est, relinqui testamento non possit.



An fides hosti data fernanda sit.

Q V A E S T I O . V I I .

HO STES generali nomine, mala consuetudine , dicuntur omnes contra quos arma feruntur: quo- rum sex genera sunt. Nam alij sunt verè propriéque hostes , qui externi sunt (cùm eo verbo vetustè Peregrini appellarentur) & pari atque nos iure ac liber- tate vtuntur: inter quos publico consilio bellū intercessit. l. hostes, 118. l. quos nos, 234,D.de verb.sig.l.hostes,24,D.de capt. & postlim. Alij Defectores, qui cùm imperio ac ditione nostra tenerentur, à nobis descivierunt. l. 5, D. de cap. min. Alij Prædones, hoc est piratæ & latrones. d.l.hostes,D.de capt. Alij Aduersarij, inter quos nō bellū, sed ciuilis discordia exerceri dicitur: in l.siquis ingenuam,21,§.l,D.eod. eoque nomine Cæsar in libris de bello ciuili frequentissimè Pompeianos appellat. quod non leui momen- to æstimandum est. Nam de Antonio Cicero Philipp.x 11,commemorans. Ego,inquit, sem- per appellaui Hostem , cùm alij Aduersarium: semper hoc Bellum,cùm alij Tumultum. Con- trà verò nonnulli è Pompeianorum militibus Cæsarianos,hostes non appellabant.vt lib.beli ciuil.3, Ac nonnullæ militum voces audiren- tur, se se contra hostem si ducerentur , ituros:

contra ciuem & consulem , arma non laturos.
Alij sunt Proscripti, siue iudicio damnati, & ho-
stes à senatu iudicati : de quibus in d. l. 5, D. de
cap. min. l. sunt quidam, 17, D. de pœn. Postremi
sunt Serui fugitiuii, cùm arma ferunt : vt Sparta-
cus, de quo in l. 3, D. de acq. poss. itémque Eu-
nus, Athenio, & alij, qui generali nomine Ho-
stes appellantur in l. 3, C. de iis qui ad Eccl. con-
fug. Ad quæstionem autem illa præmunitio ad-
hibenda est : Inter quos iuris alicuius commu-
nio est, inter eos obligationem contrahi : inter
cæteros, non contrahi. vt de seruis dicitur in l.
quod attinet, 32, D. de reg. iur. l. serui, 14, D. de
obl. & aet. l. naturaliter, 13, D. de cond. indeb. I-
taque vt de singulis ordine differamus , quia cū
hostibus iurisgentium communio est: l. vlt. D.
de legat. sequitur, vt cum iis conuentionum, ac
proinde obligationum communio sit. l. con-
uentionum, 5, D. de pact. qua de caussa violan-
dis hostium legatis ius gentium violari dicitur:
in d. l. vlt. & apud Liuium lib. 15. & lib. 38. & a-
pud Cicer. Verr. 3. ex quibus constat, eos qui le-
gatos violarunt, hostibus dedi pro noxa soli-
tos. vicissimque legati eos ad quos missi sunt,
violantes , iusgentium violare dicuntur , apud
Liuium lib. 5. Sic violandis induciis iusgentium
violari dicitur, apud eundem lib. 40. Itémque
hostibus per colloquij speciem violandis, lib.
38. vt T. Labieni factum in Commio Atrebate
vulnerando defendi non posse videatur: apud
Hircium bell. Gall. 8. cap. 3. Ex eodem genere

peruulgata illa sunt, de ditione eorum qui cū hostibus pacem fecerunt, quam Senatus ratam non haberet: apud Cicer. de Off. 3. & in d.l.vlt. D. de legatio. & l.4, D. de cap. & de Attilio Regulo, qui quandiu hostium iureiurando teneatur, scnatorem se esse, aut sententiæ in senatu dicendæ ius se habere negabat: apud Cic. eod. lib. de Off. 3. & de Clælia, cæterisque virginibus obsidibus, apud Liuum lib. 2. Deinceps de cæteris videamus. Cum defectoribus ergo iurisgètium communionem intercedere, vel eo patet, quòd cùm hostium numero sint, eodem quo illi iure habendi videntur: ex d.l. 5, D. de cap. min. De prædonibus autē maior dubitatio est, propter auctoritatem Ciceronis de Off. 3. vbi negat eum qui prædonibus pactū pro capite pretium non attulit, teneri, ne si iuratus quidem id non fecerit. nec enim cum illis fidem, aut iusfrandum esse commune. Sed videamus, primùm quia lex nulla est, quæ pactionibus & conuentionibus cū illis contrahēdis interdicat, an quæ nominatim vetita non sunt, permissa intelligātur: l. ex eo, 18, D. de testib. Deinde naturalis & gentium iuris communionem etiam prædones ac latrones habere docet l. bonafides, 31, D. si dep. vbi Tryphoninus ex Marcelli sentētia statuit, si res à latrone, prædone, & fure apud ipsū dominū ignorantem deposita sit, iuregentium obligationem non contrahi: sed si apud aliū deposita sit, contrahi. Quo ex loco perspicuum est, etiam latrones iurisgètium communionem habere.

habere . Præterea locus est apud Cæsarem belli
ciu.3.vbi apertè scribitur, actum à Romanis du-
cibus in Pyrenæis montibus cum prædonibus
& fugitiuis , de compositione , legatosque ad
eos missos fuisse. De aduersariis autem dubitari
non posse, argumento est primùm d.lsi quis in-
genuam, D. de capt. vbi multo meliore quam
hostes conditione esse dicuntur : deinde quod
sublata colloquiorum & conuentionum facul-
tate, spes concordiae & reconciliationis omnis
præcisa videretur. Memini (inquit Cicero Phila-
x i i .) colloquia & cum acerrimis hostibus , &
cū grauissime dissentientibus ciuibus. Cn. Pom-
peius Sex. filius Cōsul, me præsente, cūm essem
tyro in eius exercitu, cum P. Vettio Catone du-
ce Marsorum, inter bina castra colloquutus est:
quo quidē memini Sex. Pompeium fratrem Cō-
sulis ad colloquium ipsum Roma venire , do-
ctum virum atque sapientem , quem Cato cū
salutasset, Quem te appellē, inquit: At ille, Vo-
luntate hospitē, necessitate hostē. Tertiò quod
etiam damnatis & proscriptis (quæ quinta ho-
stium species est) iuris gentium communio re-
linquitur.l. sunt quidam, 17, D. de pœn. & d.l.
bonafides, 31, D. de depos. vbi Tryphoninus sta-
tuit, vt quæ reus capitalis iudicij deposuit, si de-
portetur , propter naturale & gentium ius ei
reddantur. Eoque nobilis illa causa pertinet in
Orat. Ciceronis pro G. Rabirio, cum L. Apu-
leio Saturnino & ipsius comitibus, qui in Capi-
tolium, ne prehenderentur, confugerant, fides

D.j.

publica data est: & tamen vis ac cædes contra fidem publicam allata, præcipuo adiutore Rabirio, qui propterea sex & triginta post annis in iudicium vocatus est: auctoribus Dione lib.37. Floro lib.3. Appiano bell.ciu.1. & Plutarcho in Mario. Sic cum Catilinarij hostes à senatu iudicati sunt, tamen iis fidem publicam à senatu datam esse, Sallustius autor est. De fugitiis autem dubitandi caussam iam antea Cæsaris locus sustulit, & I. quod attinet, D. de reg.iur. Deinceps sequitur, vt quæ contrâ disputari possint videamus. quorum primum argumentum est ex 2.Reg.10. vbi Rex Iehu, cui Deus imperarat ut Baalinos sacerdotes omnes de medio tolleret: illos in Baalis fanum per sacrificandi causam euocatos interfecit. Sed locus ille nihil ad institutam disputationem pertinet, in qua queritur, An fidem hosti datam negligere liceat. Nullam enim Iehu fidem illis publicam dederat: tametsi ad illos euocandos & vnum in locum cogendos dolo bono sit usus. Secundum est ex Augustini quæst.in Ioannam, Cum iustum, inquit, bellum suscepit, vtrum aperte pugnet, an ex insidiis, nihil ad iustitiam interest. quod relatum est in 23,q.2, c. dominus. & paratam ex superiori loco responsionem habet. Nam ante fidem datam verissimum est quod dici solet ex Virgilij tr. Dolus, an virtus, quis in hoste requirat? & ex Amm. Marcellin.lib.17. Nullo crimine virtutis ac doli, prosperos omnes laudari debere bellorum euentus. Qua de caussa

Vlp.in l.1,D.de dol. mal. scribit, bonū esse dolū, si quis aduersus hostem latronémve machi netur. Sed intelligendum , aliud esse Dolum, a liud Perfidiam. Dolus fit,vbi fides data non est: post fidem datam, locum dolo & fraudi non esse superius ex Liuio demonstrauimus:vbi sta tuit, fraude per colloquij speciem adhibenda, iusgentium violari. atque ita responsum volu mus ad l.nihil,26, D. de capt.vbi scribitur, ius esse dolo malo & fallacia in hostes vti. Nam tū demum dolo vti aduersus hostes licet , cùm fi des nondum data est : vbi semel data est, lædi eam nō licet.& ad legem nihil, exemplū C'œiliæ virginis pertinet. Tertium est ex l.1,D. qu' vi, aut met. Sed edictum prætoris ad promilia ciuibus,non hostibus facta pertinet. Quartum est ex lib.Liuij 5. vbi Camillus pactionem cum Gallis factam rescidit. sed caussam nominatim Liuius adscribit, quia cùm Dictator esset (Di ctatore autē facto magistratus omnes cessent, auctore Plutarcho in Fabio) quæ ipsius iniussu pacta erant, rata esse non poterant. Sic enim apud Sallust. in Iugurth. quam pacem A. Albi nus cum Iugurtha Rege Senatus iniussu fecerat, Senatus rescidit. Et apud Luium lib.30. ma trimonium Masanissæ & Sophonisbæ sine Scipionis permisso contractum,ipsius imperio re scinditur. Quintum ab Vdalrico Zazio excogitatum ex l.2,C.de commer.Sed satis constat, etiam cum barbaris iusgentium esse.l.pen.in fin. D.de bon.damn.deinde aliud est aurum à bar-

baris subtili ingenio subducere , aliud fidem iis
datam fallere. Supereft acerrima Bartholi dis-
putatio , vt pactiones inter belli duces factæ
obligationē inducant: à priuatis, nō inducant.
Itaq; in quæstione, An liceat ciui proscriptum,
quem ipse reum peregerat, post reconciliatā in-
ter ipsos gratiā , & fidem vtrinque datam, insi-
dioſe interficere: respondit, licere. Quo respon-
ſo magnā ſe gladiorum & perfidiarū occaſionē
præbuiffe, ipſe met in fine 1. Quæſt. ingenuè fa-
tetur. qua de cauſa Fulgoſius, medicū, qui bel-
lo inter Bononiensēs & Imolēſes exorto, ca-
ptus ab aduersariis mille ducatos pro capite
promiſerat, abſoluit. Bartholi argumentum eſt
primum ex l.2, & l.3, C. quand. lic. vnic. ſin. iud.
& l.3, D. de ſicar. Sed aliud eſt transſugam & la-
tronem, vbi iuris & legum conſeffu permifſum
eſt, aliud post ereptam ſibi eam libertatē inter-
ficer. nam post fidem datam ea facultas adi-
mitur. Secundū eſt ex l.1, D. de bon. eor. qui ant.
ſent. vbi ignoscitur ci, qui ſanguinē ſuum qualiter
qualiter redemptum voluit. Sed ea regula
ad quæſtionem in lege propositam reſtrīngēda
eſt: ne captio ſit à dicto secundum quid, aq; di-
ctum ſimpliciter, deinde nulla ſimilitudo recte
inducitur ab eo , qui ab ignominiosa morte ſe
liberat, ad eum qui ſine periculo & contra fi-
dem datam reconciliatum amicum interficit.
Tertium eſt acerrimum ex l. ius publicum, 38,
D. de pact. Quare diſtinctio adhibenda eſt. Aut
enim pactio Reipub. ſtatut & dignitatē im-

minuit: aut ad priuatam paciscentium rationem,
& rem familiarem pertinet. Priore casu nullius
momenti pactio est: altera vero valere dicitur in
iurisgentium, 7, §. si paciscar, D. de pact. vbi etiam de criminibus pacisci licet. Deinde Cicero
de Off. 1, aperte scribit, si quid singuli (hoc est
priuati, de quibus proposita Bartholi questio
est) temporibus adducti hosti promiscrint, esse
in eo ipso seruandā fidem. Alterum argumentū
inducitur ex l. pactū, 46, D. de pact. vbi renun-
tiatio sui iuris per pœnitentiā reuocari nō po-
test. Tertio si pactio Lucani nobilis Remp. læ-
debat, pœna paciscenti debebatur: ex l. 4, in fi.
D. ad leg. Iul. maiest. vbi qui in vincula conie-
ctū emisit, damnatur. Fulgosio vero sola est ob-
iicienda l. nam & seruus, 21, D. de negot. gest. vn-
de perspicuum est, naturalem obligationem ab
iis contrahi, qui hostibus pretium redemptio-
nis promittunt. nam si naturale debitū non fuisset,
sibi negotiorum gestor imputare debuisset.
l. si quis negotia, 23, eod. Postremo si Scripturæ
sacræ auctoritas queritur, quam valere apud
Christianos oportet, memoriae proditum est,
Sedeciam Israëlorum Regem impium à Na-
buchadnezare vinclatum & captum, atque una
cum principibus eius gentis omnibus abdu-
ctum fuisse: ac tametsi Nabuchadnezar eum in
fidem recepisset, illum tamē per literas ac nun-
tios AEgypti Regem sollicitasse, ut se ab illius
potestate liberaret. Hanc perfidiam Prophetæ
vehementissimè damnarunt: neque ita multo

pōst liberi eius ante ipsius oculos interfecti sunt. pōst illi oculi effossi, tandem catenis vincitus Babylonem deportatus est. Quia de caussa Augustinus epist. I. ad Bonifacium, cuius fragmentum relatum est in 23. q. I. c. noli. Fides, inquit, quando promittitur, etiam hosti seruanda est, cōtra quem bellum geritur. Et Ambros. lib. de Off. I. cap. 29, Liquet, inquit, etiam in bello fidem & iustitiam seruari oportere, nec nullum decorum seruari oportere, si violetur fides. Item lib. 3, cap. 10. docet exemplo Iosuæ, qui iuriurandum à Gabaonitis fraude & mendacio extortum seruarat, fidem etiam perfidiosis & fraudulentis seruandam esse.



Vtrum refectione rerum singularum, uniuersitas mutetur, an eadem res maneat.

Q V A E S T I O V I I I .

VE T V S exemplū est de naue The sei quæ, cùm singulæ tabulæ exceptæ essent, tamen ita refecta est, ut eādem speciem ac formam retineret. Juris consulti autem distinctionem adhibuerunt, vtrum res singulæ uno tempore mutatae sint, an sensim, particulatim, ac diuersis temporibus. Nam corruptionem & effectionem cuiusque rei duplē fecerunt: vniuersalem, & particularem. Si vniuersalis est,

veluti si nauis simul vsquequaque dissoluta sit,
licet iisdem tabulis, nulla præterea adiecta, re-
staurata sit, tamen Sabinus, Vlpianus, & Iulia-
nus statuerunt, non eandem nauem manere: ac
proinde vsumf. nauis constitutum extingui. si
militer, si domus diruta sit, & ex iisdem cæmen-
tis lignisque restituta. l. quid tamen, 10, §. pœn.
& l. repeti, 5, §. 2. quib. mod. vsuf. amitt. Idémq;
Paul. statuit in l. seruitutes, 20, §. si sublatum, de-
seruit. vrb. Et Africanus in l. qui vsumf. 36, D. de
vsuf. Et Cai^o in l. si ita legatū, 65, in fi. D. de leg.
l. vt sublato ædificio, vsuff. intereat. eiūsque iu-
ris æquitas hæc est, quia ex forma quæq; res est
id quod est, & (vt vulgus loquitur) forma dar-
esse rei. l. Julianus, 9, §. si quis, D. ad exhib. Quare
cùm sublati per dissolutionē forma nauis cor-
pus esse desinat, sequitur, vt quanvis ex iisdem
tabulis reficiatur, tamen non idem corpus sit.
Aliud enim materia est, aliud species: l. si con-
uenerit, 8, §. pen. D. de pign. act. & cui mate-
ria legata est, species ex ea facta non debetur.
vt si lana legata est, deinde vestis fiat, aut ex ta-
bulis nauis, aut armarium. l. lana, 88, de leg. 3. v-
bi similiiter traditur, si nauis legata dissoluta sit,
neque materiam, neque nauem refectam debe-
ri. quod idem de domo traditur, & vsuf. lega-
to: l. qui vsumf. 36. D. de vsuf. itémque de orna-
mento, aliis gemmis & margaritis adhibitis, in
aliam formam commutato: vt legatum orna-
menti ea mutatione extinguatur: in l. Scia, 6, D.
de aur. & arg. Quanquam hac in parte tria ma-

F R A N C . H O T .
gnopere animaduertenda sunt. primum, quod
Paulus in l. inter stipulantem, 83, §. sacram, D. de
verb. oblig. à cæteris (vt opinor) dissentiens, di-
stinguendum esse statuit, vtrumne dominus cō-
siliū habuerit eiusdem nauis aut domus refi-
ciendæ, an tabulas, & tigna & cæmēta alium in
vsum conuertendi. nam illo casu, eandem esse
nauem & domum: hoc, non esse. quasi verò ad
rei diuersitatē aut identitatem, ad corporis
denique qualitatem consilium & propolitum
hominis aliquid valeat. quod tamen idem sta-
tuitur in l. qui res, 98, §. vlt. D. de solut. Alterum
est, quod de metallis, in quibus materia poten-
tior est forma, dissentire quoque inter se Iuris-
consulti videntur. Nam Africanus in l. qui v-
sum f. 36, D. de vsum apertè scribit, si scyphorum
vsum fr. legatus sit, deinde massa facta, & iterum
scyphi, quanuis pristina qualitas scyphorum re-
stituta sit, non tamen illos esse, quorum vsum fr.
legatus fuerat: à quo certè dissentire Paulus vi-
detur in l. quæsitū, 78, §. illud fortasse, D. de leg.
3. vbi scribit, aliam metallorum rationem esse,
vt auri & argenti, quæ sèpius in sua initia redigi
possunt: aliam cæterarum rerum, vt lapidū, ti-
gni, & marmoris. Nam si argétum legatum sit,
scyphos debet: si marmor, nihil præter rudem
materiam debet, quod eodem modo idem scri-
bit in l. lana, 88. eodem tit. tabulis legatis, nauē
non debet: massa legata, scyphos ex ea confla-
tos debet. Et Vlp. in l. item legato, 49, §. pen.
D. eod. aurum vxori legatū, si postea conflatum

fit,deberi.Postremum est, vt in area quanuis eius species mutetur , tamen aliud iuris sit, nam area legata, si inædificata, pòst iterum area facta sit, debebitur: auctoribus Celso, Vlpiano, & Iabolenio.l.si chorus 79, §.area, D.de leg.3.l.scrū filij, 44, §.si areæ, D. de leg.1, l. si areæ, 39, D.de leg.2.& si domus oppignerata postea diruta sit, oppignerata manebit area: nimirū, quia superficies ius soli sequitur. l. Paulus 29, §.pen.D.de pign.Sic enim in l.vlt. eiusd. tit. pactum vt domum oppigneratam vendere liceat, adeo sublata superficie manet , vt etiam in eandem renouatam valeat. quoniam (vt modò dictum est) ius soli superficies sequitur : cùm area pars domus sit , eaque maxima, l. qui res, 98, §. vlt. D. de solut. vbi Paulus dilucidè scribit , aream non desisse in rerum natura esse. quòd summè notandum est: vt partes in toto , & naturam & nomen suum retineant. Sequitur altera pars disunctionis , si particularis dissolutio instaurata fuerit. Tum enim Iurisconsulti speciem manere pristinam statuunt, ac proinde rem eandē ac non diuersam esse.veluti si nauis, aut domus particulatim refecta sit:quia cui² rei species (ait Alfenus) eadem consisteret , rem quoque eandē existimari.l.proponebatur, 76, de iud. quòd idem Caius de domo scribit, quæ particulatim refecta est, vt ea legata debeatur.l.si ita legatū, 65, §.vlt.de leg. 1. & de grege, qui prioribus capitibus decederib[us], & aliis substitutis omnino renouatus est, vt tamen & legatus debeatur , &

oppigneratus maneat.l.si grege,22, de leg. i. & l. gregē, 13, de pign. Itémque de taberna, cuius merces particulatim summotæ sunt. l. cùm tabernam, 34, D. cod. quanquam in naui video Pomponium aliquatenus dissentire videri : & requirere vt eadem carina maneat. l. quod in rerum 24,§.vlt.D.de leg.i. Neque illi sententiæ magnopere aduersatur disputatio Hermolai Barbari apud Alex.ab Alex.lib.3,cap.i.quòd,I-dem;apud philosophos dicitur , cuius eadem permanet materia, quæ prius fuit.Hic autem & partes,& singulæ res omnes mutatæ ac renouatæ sunt. nam cùm species extincta non fuerit, sed idem perpetuò corpus eadémque forma cōstiterit,dici nō potest aliam rem esse. Quemadmodum enim forma est , ex qua quæque res est id quod est,d.l.Iulianus,ad exhib.ita continuatio formæ , rei ipsius continuatio est : & quemadmodum partis vnius renouatio totum non renouat,quoniam species & forma eadem manet,vt si statuæ brachium aliud appositum sit: l.si statua, 14, de aur. & arg. leg.ita particularis renouatio rem vniuersam non renouat. Cuius rei Alfenus etiam exempla profert ex corporibus humanis,ex quibus sensim ac minutatim aliquid assidue decedit , cuius in locum aliunde aliquid ex nutrimēto succedit. Itaque & homo idem dicitur,qui quinquaginta antè annis cùm infans editus est,fuerat:& infans surreptus,si apud furē adolecuit,vt adolescens æstimatur.l.inficiādo,67,§.2,D. de furt.& l.ex argento, 13,D.

de furt. cond. Et infans, aut pullus legatus, si in virū, aut equum magnum creuerit, nihilominus idem censebitur. l. si infantis, D. de vſuf. & eadem ſylua hodie eft, quæ olim fuit Ercinia: idemque fluuius Rheni aut Rhodani, qui mense ſuperiore fuit, quanuis aquæ corpus non idem fit. Et idem pons ille ſublicius Rheni proximè urbem Argentoratum, qui quotidianis operis ita continenter atque aſſidue renouatur, vt vix vlla ipsius particula ad decennium perduret.



An matrimonij ſine parentum auctoritate contrahēti poena ulla constituta ſit.

Q V A E S T I O I X .

R I M V M distinctio adhibenda est. nam liberorum alij in potestate ſunt, alij ſui iuris ſunt. Qui in potestate ſunt, ſi ſine parentum auctoritate matrimonium contrahant, hac afficiuntur poena, vt eorum iniuste nuptiæ dicantur, iniustique ipſi coniuges, iniusti liberi: nuptiæ denique non coniuantur. l. 2. D. derit. nupt. adeo ut nepos auo viuente conceptus, quanuis eodem mortuo nascatur, iniustus tam neque patri filius, neque auo nepos dicatur. l. Paulus, ii, D. de stat. hom. neque distinguuntur, vtrum mares liberi, an fœminæ ſint. l. in

coniunctione, 20, C. de nupt. Idq; adeo verum est, primùm vt si pater apud hostes sit, vel ubi sit ignoretur, tamen per triennium sit expectandus. quanquam si tale matrimonium contrahatur, quod pater repudiaturus non esset, nuptiæ comprobentur. l. si nepos, 9, §. 1. & duabus ll. seqq. D. de rit. nupt. deinde, vt non modò contrahi, sed ne distractæ quidem reconciliari nuptiæ sine eadē auctoritate possint. l. nuptiæ, 18, D. de rit. nupt. l. si ut proponis, 7, C. de nupt. Legis æquitatem Iustinianus exponit, ciuilis & naturalis iuris rationem. §. 1, de nupt. per ciuile intelligēs patriam potestatem, quæ Quiritium propria fuit: per naturalem verò, pietatem & reverentiam, quam liberi parentibus debent. l. parentes, 6, D. de in ius voc. Nūc ad tria legis verba triplex adhibenda interpretatio est. Primum in voce P A R E N T V M . nam ex illa quæstio hæc exoritur: Vtrum in nepotis aut neptis nuptiis, qui in aui potestate sunt, aui auctoritas sufficiat, an etiam filij consensus exquiratur. nā Paulus l. 3, D. de rit. nupt. statuit, si nepos ex uno filio & neptis ex altero matrimonium contrahant, solius aui auctoritatem sufficere. At idem in l. oratione, 16, §. 1, D. cod. Nepote, inquit, v. a xorem ducente, & filius consentire debet: neptis verò si nubat, voluntas & auctoritas aui sufficiet. Quæ vt inter se non pugnant, propter ea quod priore casu nurus filio ex eadem familia queritur, posteriore, ex aliena: tamen perspicue & naturali & divino iuri contraria sunt:

quo utroque iure & par patri & suo reuerentia debetur: & par eademque patris in filiam & filium potestas tribuitur. Neque huc pertinet, quod dici solet, suum heredem inuito non agnasci, ac propterea nepotem quasi ex filio natum sine filij consensu adoptari non posse. I. cum nepos, 6. I. si quis, 10. D. de adopt. Neque enim utrouis casu suus heres filio per illud matrimonium agnascitur. Alterum legis verbū est, A U C T O R I T A S , in quo duplex nascitur quæstio. prior, utrum auctoritas præcedere debeat, ut in acquirenda hereditate: I. si quis mihi, 25, §. iussum, de acq. hered. an satis sit eam subsequi, aut in contrahendo interponi: ut in tutorum auctoritate. I. obligari, 9, §. tutor, D. de auct. tut. Altera, utrum expressa auctoritas requiratur, an tacitus consensus sufficiat. Ad utramque una responsio est: Tacitū consensum sufficere: hoc est, iussum expressum non requiri, sed satis esse, si pater non cōtradicat, atq; apertè dissētiat: I. si ut proponis, 5. C. de nupt. I. in sponsalibus, 7, D. de sponsal. ac proinde rati habitionem pro iusu & auctoritate numerari: ut in plerisque iuris articulis. I. semper, 60, D. de regul. iur. Tertiū legis verbum est, N U P T I A S N O N C O N S I S T E R E: ex quo hæc fluxit quæstio: Utrum contractæ naturaliter nuptiæ, ipso iure irritæ sint, an contractæ, per magistratum rescindantur. de quo Paulus dubitare nos non sinit, qui lib. Sentent. 2, tit. 19, scribit, matrimonia hæc iure non contrahi, sed tamen contracta non solui.


contemplationem enim publicæ utilitatis pri-
uatorum commodis anteferri. Quod ut intelligatur, illud scire oportet, aliam dici legem per-
fectam, quæ quod contra præscriptum ipsius
factum est, vel ipso iure, vel per magistratum
rescindit. l. non dubium, C. de legib. aliam per-
fectam, quæ factum quidem non rescindit, sed
pœnam irrogat: qualis est lex Furia testamen-
taria: de qua scribit Vlpianus cap. fragm. I. Pœ-
na autem huiusmodi matrimoniorū est, ut neq;
vir, neque vxor, neque nuptiæ, neque dos intel-
ligatur: & qui liberi nascentur, inter spurios nu-
merentur. §. pen. C. de nupt. Et quemadmodum
scribit Apul. lib. 6, Nuptiæ, inquit, patre non cō-
sentiente factæ, legitimæ non possunt videri, ac
per hoc spurius iste nascetur. In iustum igitur
hoc matrimonium appellabitur. ut in l. vn. D.
vnd. vir & vxor. veluti cum tutor pupillam aut
curator adultā duxit. l. tutor, 36, D. de ritu nupt.
Deinceps consequens est, ut de iis qui sui iuris
sunt differamus. In quo distinctio adhibenda
est. Nam marces quidem, etiam vigintiquinque
annis minores, parentibus inconsultis iustum
matrimonium contrahunt: & suscepti liberi iu-
sti atq; heredes sunt. l. filius, 25, D. de ritu nupt.
l. 3, §. si emancipatus, D. cont. tab. Fœminæ ve-
rò minores annis x x v, iustum matrimonium
non contrahunt: adeo ut etiam patre mortuo,
siue pupilliæ sint, matris, tutoris, & propinquorum
sententia requiratur: l. 1, C. de nupt. & siue
viduæ sint, siue virginis puberes: l. viduæ, 18, l.

in coniunctione, 20, C.eod. At post xx v ætatis annum, propter patris socordiam, si honestum matrimonium contraxerint, exheredari non possunt: Nouella 115. Animaduertendum est autem, quanvis emancipati matrimonium patre inconsulto contractum, iure ciuili Quiritium iustum esset, tamen si mulierem ignominiosam duxisset, veluti mimam, aut meretricem, quoniam familiæ dedecus afferebat, antiquo iure iustum hanc exheredationis cauſam in nepotibus fuisse: tametsi de inofficio agere nepotibus permitteretur: vt non minus eorum merita, quam patris delictum perpenderetur. l.3, §. si emancipatus, D. cont. tabul. Nouo verò Iustiniiani iure qui certas exheredationis cauſas cōstituit, prætermissa hæc est. quanquam Regis Galliæ constit. anno 1556, sancitum sit, vt ma- res ante annum 30, fœminæ ante 25, ob contrac-
tas sine parentum auctoritate nuptias, & do-
nationibus in ipsos collatis, & legitima por-
tione spoliari possint. Iure autem canonico ma-
trimonia sine parentum consensu facta pro iu-
stis & legitimis haberi, patet ex c. sufficiat, 27, q.
2. vbi glossa subiungit requiri consensum ex ho-
nestate, nō necessitate. Item gloss. in c. hoc san-
ctum, 32, q. 2. & c. cùm cauſam, 6, Ext. de raptor.
vbi textus & glossa disertè in easdem istas ine-
ptias consentiunt.



*An principalis obligatio pœnali stipulatione
nouetur.*

Q V A E S T I O X.



OE N AE stipulatio quatuor modis adhibetur. nám aut pacto subiungitur, aut contractui. pactum autem aut de contrahendo negotio, aut de transigendo (id est distrahēdo) interponitur. l. i, §. i, D. de pact. similiterque contractus aut est stipulatio (quæ generaliter cōtractuum omnium communis est) aut quiuis aliis specialis. Quantū ad primum, quo pactum sit de dando, vel faciendo, si quia iure Quiritium vim ad obligandum non habet, ei pœnæ stipulatio subiiciatur: dubitari non potest, quin locus nouationi non sit. quippe, cum obligatio, quæ nouetur, nulla sit. Nam illo casu à conditione stipulatio incipit, Si naueim non feceris, centum dabis? l. ita stipulatus, 115. §. itaque, D. de verb. oblig. atque ita intelligendæ sunt l. obligationum, 44, §. si ita, D. de obl. & act. Si fundum non dederis, centum dabis? Item l. i, §. 4, D. ad leg. Falc. l. i, D. de pen. leg. Si penū non dederis, centum dāto. Sed planissimè omnium l. si pacto, 14, C. de pact. quæ quāquam sub rubrica de Pactis posita est, quæ non ad cōtrahendam sed ad distrahēdam obligationem pertinent, (nam de non petendo sunt) tamen apertif-

apertissimè ad conuentionem contrahendi negotij caussa factam referenda est: vt ex illis verbis constat, Vel id quod in conuentionem deuenerat, vt fiat, consequeris. Summatim autem traditur, ex stipulatione pœnali pacto subiecta vnicam actionem competere: vt vel pœna soluatur, vel, si stipulator pœnam velit remittere, id quod per pactum promissum fuerat præstetur. Secundus casus pertinet ad pactum de non petendo, & ad transactionem: quæ ad distrahendum potius quam ad contrahendum negotium adhibentur. Ergo hoc casu quæstio hæc exoritur, An ex pacto, cui pœnæ stipulatio subiecta est, simul & exceptio & pœnæ petitio cōcedatur. Ambigui caussa permagna est, videoturque textus in l. rescripto, 10, §. 1, D. de pact. significare inter Proculianos & Sabinianos ista de re concertationem fuisse. Nam pro Proculianis, qui & exceptionem & actionem competere disputabant, pugnat æquitas naturalis, & pinguis Minerua cōmunitatis sensus. Hæc enim cōuentio, si naturaliter consideretur, duplex est. nam Titius promittit primū se non petiturū, deinde, si petat, centum soluturum. Quapropter priore conuentione videtur aduersario suo defendendi sui potestatem facere: secunda verò, pœnam daturum. Quare ex pacto, exceptio: ex pœnæ stipulatu, actio concedenda est. vt si quis se arcem aliquam non oppugnat, & si vñquā oppugnet, cētum spōdeat: nō modò iis qui in arce futuri sunt, de-

fendendi sui potestas relicta intelligitur: verum etiam pœnæ ob fidem violatam exigendæ. Atque in hanc sententiam Arcadius & Honorius sanxerunt, ut Petens contra pactum iuratūm, primum iure suo excidat, deinde pœnam promissam persoluat. I. si quis maior, 41, C. de transact. In eadem, inquam, sententiam apertissimè Scæuola respondit in I. qui Romæ, 122, §. vlt. de verb. oblig. pœnam ab altero cōmissam esse: quanuis alter pacti, siue transactionis exceptione prius usus fuisset: atque adeò caussam obtinuisse. Neque mihi fit verisimile, Scæuolā qui suis consultoribus non ænigmata proponebat, sed de iure respondebat, ita breuiter & præcisè de iure respondere voluisse, ut diuinandum relinqueret, si postea pœna peteretur, doli exceptionem competituram, propter I. rescriptum, 10, §. I. D. de pac. vbi hæc Sabini sententia profertur: quam Scæuolæ probatam fuisse non constat. Sed iam ad Sabinianos accedamus. Nā pro illis argutia iuris Quiritiū pugnat. primum, quia petere more Romano est, non simpliciter in ius petendi caussa vocare, sed iudicio à prætore constituto & lite contestata per iudicem petere. I. amplius, 15, D. rem. rat. hab. vbi dicitur, illud propriè esse Velle petere: hoc autem, Petere: neque stipulationem Amplius non peti, nisi lite contestanda, committi. Quare cùm pœnalis stipulatio sit conditionalis, si apud iudicē pedaneum petiero, tu verò per exceptionem in iure apud Prætorem oppositam, id prohibeas,

conditio cōmitti nō videtur. Altera iuris ciuilis āgutia hæc est, quod eadē conuentio valere simui & ad pactum & ad stipulationem nō potest. nam illud naturale est, hæc ciuilis. l. si pactus, 27, §. pactus, D. de pact. illud naturalem, hæc ciuilem obligationem parit. l. St. chum, 95, §. naturalis, D. de solut. Etsi autem illa conuentio, si naturaliter consideretur, duplex est, tamē per vim stipulationis pactum absorbetur: vnaque & simplex obligatio nascitur: ut de pacto ad gerendum negotium apposito scribitur, in l. si pacto, 14, C. de pact. & in l. qui Romæ, 122, §. vlt. De verb. oblig. Ex quibus intelligitur, summa veteris istius controvërsiæ hanc fuisse, quod Proculiani conuentionem sic interpretabatur, quasi per coniunctionem promissum fuisset: Et hoc, & illud: Sabiniani verò quasi per disiunctiōnem: Aut hoc, aut illud. Atque hac de caussa Sabinus, Vlpianus, Mela & Paulus apertissimè statuunt, hoc casu vel Exceptionem pacti solam, vel Actionem ex stipulatu pœnæ solam compete. d. l. rescriptum, 10, §. i, D. de pact. l. si pater, 12, §. si mulier, D. de pact. dotal. Hæc cùm ita es- sent, Hermogenianus se tanquam arbitrum honorarium interposuit, statuitque ut si clausula, Ratio manente pacto, interposita est, Proculianorum sententia valeret: sin minus, Sabinianorum. Quod idem apertissimè traditur in l. cùm proponas, 17, C. de transfact. atque ad hanc disputationem pertinet l. nuda, 5, C. de cont. stip. quæ, ut innumeræ aliæ Codicis leges, non ob

sentētiam & quæstionem propositam, sed propter sermonis horridioris rusticitatē obscura merito existimatur. Nam quantum ad Iohannis interpretationem, vt ex nudo pacto lis ab actore mota fuerit, quid absurdius dici potest, quām Prætorem vllum extitisse, qui ex nudo pacto actionem dederit? Atque in eandem propè sententiam Impp. rescripserunt in l.vbi pactum 40, C. de transact. vbi per acceptilationem Aquilianam perempta petitoris actio est: si tamē actionem redintegrare velit, licere reo vel illū, allegata in iure apud Prætorem acceptilatione, submouere: vt ei actio denegetur: l. vir bonus, 18, D. iud. sol. vel, si hoc malit, & caussæ bonitate fretus paratus sit iudicium subire, petere ante cognitionem caussæ & litis ingressum pœnam, & ea quæ transactionis nomine dederat. Quibus verbis nō obscurè significat atq; adeò apertè ostendit, non vtrunque reo permitti, vt & iudicium recuset, & pœnam petat: quod idē dilucidè Paulus scribit in l. pacto, 15, D. de trāsact. vbi Rescissum pactum dicit, pro, Irritum, & pro nihilo habitum ab eo cui proficere potuisset, si solum fuisset, ad exceptionem: si Aquilia na stipulatione munitum, ad iudicij recusationem. Quamobrem commodius videtur, de pollicitatione de non petendo legem accipere. nā Polliceri pro pacisci, & promittere usurpatur quoque in l. qui explicandi, 10, C. de accusat. vt secundum Sabini sententiam Imperator statuerit, solam ex pœnæ actione stipulationē com-

petere. Cui consentaneum est , quod ibi scribi-
 tur, si cōtra pactum fecerit. Nam si de dando
 vel faciendo pactum fuisset , tum ita scribi o-
 portuisset, si ita factum non erit: ex regula La-
 beonis in l. cum quid. 71, & l. continuus, 137, §. si
 ut aliquid, D. de verb. obl. Idque magnopere at-
 tendi cupio. Etsi autem Vrgeri verbū ad actio-
 nem accommodatum est, cui locus in hac spe-
 cie nullus est, dici tamen potest , improprie-
 surpatum illud fuisse pro, Penuria actionis co-
 gi. quod in acceptilatione Aquiliana dici veris-
 simè potuisset: perfidiosum illum promissorem
 propter penuriam actionis ipso iure sublatę co-
 gi & vrgeri fidem quam dederat præstare: l.3, &
 l.4, C. de acceptil. l.3, C. de trāfact. Quod si pol-
 licitationem ad dandum & faciendum referri
 placeret, propter auctoritatem Rubricæ, quæ
 est de contrahendis obligationibus: primū
 satis constat, leges innumeræ Tribonianii in-
 curia alienissimis locis positas fuisse. deinde si
 quis pertinacius pugnare volet, illud certè ne-
 cessariò fateri cogetur, PRO P O S T M O T A M li-
 tem, legendum esse P O S T M O R A M. quorum
 vtrunque usui patur in l. nec bona, 10, C. de pre-
 script. locor. temp. quia post moram dandi fa-
 ciendive interpositam, pœnae stipulatio com-
 missa stipulatori actionem parit. d. l. si pacto,
 14, C. de pact. Cūm autem M O T A M lusciosus
 aliquis pro M O R A M legisset, subiungendum
 Litem existimauit, immemor ex nudo pacto
 actionem non dari. Vbi autem actio non est,

litem moueri non posse. l. 6. in fi. D. de negot.
gest. Quinetiam considerari potest. an d.l. nuda
pertinere posset ad actiones in rem: vt qui pos-
siderat, transigendi caussa certam pecuniam sit
pollicitus. post cum promissam summam non
solueret, neque ex pacto actio competenteret, qua-
vgeri posset: sempérque Rei vindicatio pende-
ret: tum illa redintegrata sit. nam post motam
litem, & instauratam vindicationem, non mo-
dò aduersus transactionis exceptionem, dolii
vel in factum replicatio concedetur: verùm e-
tiā ex stipulatu actio, qua pœna petatur. Quod
valde consentaneum est cum l. siue apud, 28, C.
de transact. Sequitur tertia species, cum princi-
pali negotio & cōtractui, pœnæ stipulatio sub-
iungitur. Ad quam intelligendam duabus Re-
gulis pro fundamento & præmunitione uten-
dum est: quarum hæc prior est, Fraudatio pro-
desse fraudatori non debet. l. ait prætor, 10, §.
pen. cum simil. D. quæ in fraud. cred. altera hu-
iusmodi, Neque quod in alicuius fauorem in-
ductum est, in eius odium conuerti debet: neq;
vicissim quod in alicuius odium inductum est,
id in eius fauorem cōuerti debet. l. nulla, 25. D.
de legib. & l. relegatorum, 7, in fi. D. de interd.
& rel. Quare cum renouatio in fraudatoris pœ-
nam & odium instituta sit, videndum est vt iis
tantum casibus admittatur, qui ei prodesse non
possint. veluti, cum testator ita dixisset, Heres
vxori penum dato: nisi dederit, centum dato:
mora commissa nouatio sit, vt pœnam solam

soluendo liberari heres possit: ex Q. Mutij auctoritate, quā Sabinus, Mela, Papinianus, Paulus, & Vlpianus sequuti sunt. l. i, §. 4, D. ad l. Falc. i. i, D. de pen. leg. l. si penum, 24, D. quand. di. leg. ced. l. ita stipulatus, 115, §. Mutius, D. de verb. obl. Itaque huius rei exemplo qui ex aliquo contractu centum dare obligatus erit, & nisi dederit, ducenta, post moram ducenta debbit: neque centum soluendo liberabitur. Refragari iamnen videtur l. prædia, 28, & l. Lucius 47, D. de act. empt. l. duo societatem, 71, & l. si quis à socio, 41, cum l. seq. D. pro soc. quarum legum auctoritate permoti complures statuerunt, per stipulationem pœnæ præcedentem cōtractum non nouari. Verūm intelligendum est, quod superius diximus, absurdum esse ut nouatio in fraudatoris odium inducta, in ipsius fauore conuertatur. quòd illis casibus omnibus accidisset, quibus id quod interest, pœnam exsuperabat. quare si maior pœna est, quam quantum principalibus actionibus obtineri potest, fiet nouatio: sin minus, electio actori dabitur: ne quod ipsius caussa inductum est, in ipsius damnum conuertatur. Atque hoc eodem modo responsum volumus ad l. 4, §. Labeo ait, D. de dol. except. Sed multo vehementius aduersari creditur l. qui Romæ, 122, §. Flauius, D. de verb. obl. vbi Scæuola scribit, ob seruum manumittendi caussa donatum, agi & de libertate, & de pœna licere. quod si contrarium Scæuola respōdisset, indignissimus iuris consulti nomine fuisset.

E. iiiij.

quid enim? licerétnne frustratori soluenda pœna hominem libertate sua fraudare? Duo sunt igitur quæ caussam hanc specialiter adiuuant. primùm fauor libertatis: vt quanquam regulatiter & res & pœna non debeantur, nisi nominatim id actum sit: l. ita stipulatus, 115, in fi. D. de verb. obl. tamen fauore libertatis singulare ius hoc casu statuatur. l. generaliter, 24, §. si quis seruo, D. de fid. libert. deinde Adriani constitutio, quæ nominatim id sanxerat: quam constitutionem illo loco Scæuola respexit. Cum tamen post Scæuolam aliud ius nouum ex Marci & Commodi constitutione inductum sit: vt seruus manumittendi caussa donatus, aut venditus, ipso iure liber sit. l. vlt. D. de ser. export. l. 2, & l. 3, C. si mācip. ita fuer. alien. Supereft quarata species, cùm duæ stipulationes factæ sunt, quarum prior est de dando, vel faciendo: altera de pœna. In quo casu nihil est quod dubitari possit, propter l. obligationum, 44, in fi. D. de obl. & act. vbi Paulus ait, priorem stipulationē de naui ædificanda transferri in posteriorē pœnalem: & quasi nouationem prioris fieri. & l. ita stipulatus, 115, in fi. D. de verb. obl. vbi Papin. perspicuè ostendit, nisi nominatim cautum sit, vt vtrunque debeatur, actum videri, vt sola pecunia, non præstita re, debeatur. Neque obstat l. l. §. vlt. D. de stip. seru. vbi Iulianus ait, in hac formula, Decem Kalendis Titio dare spondes? Si non dederis, tunc Mævio viginti dare spondes? duas esse stipulationes: sed Mævio sti-

pulatione commissa , Titium doli exceptione submoueri. nam illo casu variæ personæ in varias stipulationes deducuntur : & non vni eidemque vtraque stipulatio conficitur: vis tamē nouationis nihilominus manet: vt, si minus re ipsa, vi tamen & effectu nouatio contingat.



An dominium sine possessione acquiri possit.

Q V A E S T I O X I .

DO M I N I V M sine possessione acquiri posse, primus Iohannes disputauit: quem alij complures sequuti sunt, vt testatur Accursius in l. si fundum, 16, D. de fund. dot. vbi se ad illam partem aggregat. Exempla autē proferuntur hæc: si emptor in fundum inductus sit, ac mox inde decesserit. Item, si quis equum vendiderit, quem alter possidebat, & cùm fortè aquatum duceretur, emptori frenum obiter cōtrectandū præbuit. Pro Iohanne profertur pri- mūm textus, quem Azo in Summa scribit esse vnum è mirabilibus mundi, ex l. quisquis, 28, C. de donat. vbi rei donatæ vel venditæ dominiū transferri dicitur sine traditione, solo eius usufructu retinendo. Secundum est ex d.l. si fundū: vbi mulier fundum quem alter bona fide pos- sidebat, & propè iam usufruerat, marito tamen

dedisse in dotem dicitur. Ex quo confici videatur, fundi dotalis dominium mariti factum esse, quanuis eum alter possideat. Tertium est ex l.i,C.de donat. quæ sub mod. vbi Imperatores scribunt, cum qui quid sub conditione donauit & tradidit, si conditio nō impleatur, vindicare dominium eius rei posse. Quartum ex l.4, C.de pact. int. empt. vbi qui lege commissoria quid vendidit, pacto non seruato, cius rei dominium vindicat: ac proinde utroque isto casu res sine traditione possessionis in veteris domini dominio esse incipit. Quintum est ex l.si ager,50, D. de rei vindic. & l. à Titio, 64, D. de furt.& l.legatum,80, D.de leg.sec.vbi rei hereditariæ & legatae dominium ad heredem & legatarium ipso iure transferri dicitur: quanuis eius possessionem nactus non sit. Eodemque refertur, l.filius f.16, D. de testam. vbi furiosus qui acquirere possessionem non potest, rei tamen sibi legatae dominium acquirere dicitur: item l. si partem,19,§.i, D. quem seru.amittat.vbi is cui ignorantia via legata est, non utendo eā amittit: quippe, cuius dominium etiam non utendo adeptus fuerat.& l.i,D.de bon. poss. vbi bonorum possessio admissa rerum dominium transfert. Quinetiā eodem pertinet l.facta,63, D.ad Trebell. vbi facta in fideicommissarium restitutio ne, statim omnes res in bonis fiunt eius, cui restituta est hereditas: et si nondum earum natus fuerit possessionem. Sextum est ex l. cūm vir, 42, D.de usurpat. vbi fundi dotalis à marito vē-

diti dominium ita confirmatur , si mortua in matrimonio muliere, tota dos lucro mariti ces-
sit: quasi eius fundi possessio penes vxorem, aut
certè maritum remanserit. Sextum est ex l. i, C.
de donat. vbi rei venditæ dominium transferri
dicitur per traditionem instrumēti, siue aucto-
ritatis. quò eodem refertur l.i, §. pen. & l. quarū-
dam, D. de acq. poss. & l. clauibus, 74, D. de
cōtr.empt.vbi idem statuitur de clauibus pro-
pe cellam aut horreum traditis. His tot argu-
mentis non obstantibus, statuendum arbitror,
Dominium neque sine possessione traditionis
transferri , neque sine eiusdem apprehensione
acquiri posse. Nam, si pingui Minerua disputan-
da res est, caussa dominij efficiens est, animus v-
triusque contrahentis congruens & consentiēs:
hoc est, voluntas transferētis & accipientis. ma-
teria autem res, de qua cōuentio fit. forma por-
rò, traditio & prehensio vacuæ possessionis: fi-
nis, emolumētum quo vitæ præsidium paratur.
vnde bona quasi à beando dicta.l. bona, D.de
verb.sign. Huius autem rei argumenta hæc ha-
beo : Primum in l. i, D.de acq. poss.vbi Paulus
ait, Dominium rerum ex naturali possessione
cēpisse:& possessionem à sedibus dictam, qua-
si positionem.ex quo existimari potest , acqui-
rendæ possessionis notam ac symbolum fuisse,
sedis alicuius, dicas caussa, positionem. Secun-
dum argumentum est, quod Dari res,id est do-
minium eius trāsserri tum demum dicitur, cùm
vacua, & non occupata, certa, ac non litigiosa,

perpetua, ac non temporaria eius possessio traditur: id est, eius fruendæ ac possidendæ potestas datur. Nam de vacua & non occupata, textus est in l. si pater, 8, C. de act. empt. vbi venditor prædij, qui non induxit emptorem in vacuam possessionem, ius omne penes se retinuisse dicitur. & l. 2, D. eod. vbi vacua possessio tradi à venditore non videtur, si quis alter eam vel prætore auctore possideret. Facit l. Mæuius, 56, §. fundo, D. de legat. 2. De certa & nō litigiosa, textus est in l. 3, D. de act. empt. vbi traditio possessionis (sic enim legendū esse ante annos xx dociimus) quæ à venditore fieri debet, talis est, vt si quis eam possessionem iure auocauerit, tradita possessio non intelligatur. & l. qui concubinam, 29, §. si heres. D. de legat. 3. vbi legatū ab herede dari non videtur, quod ita datur, vt id habere non liceat. De perpetua & non temporaria, textus est in l. non videtur, 22, D. de acqu. posses. non videri possessionem adeptum, qui eam retinere non potest. & l. 4, §. tunc in potestate, D. de usurp. vbi ea demum iusta possessio dicitur, quæ auelli non potest. & l. mulieris, 13, §. definere, D. de verb. signif. Aliud est igitur Rem tradi, aliud Rem dari. nam in illo, sola possessio continetur: l. si item tradi, 28, D. de verb. obligation. In hoc, & proprietas & possessio. l. non videntur, 167, D. de reg. iur. l. vbi autem, 76. §. vlt. D. de verb. oblig. & l. 3, §. 1, D. de act. empt. vbi Pomponius ait, eum qui fundum dari stipulatur, vacuam quoque possessionem tradi stipulatum intelligi. Itēmque l. 4, D.

de usur. vbi etsi Papinianus aliqua in re à Pomponio dissentiat, apertè tamen fatetur, verba
hæc R E M D A R I , vel factum tradendi, vel
potius effectum dominij per traditionem trāf-
ferendi continere. Itaque quanuis donari res di-
catur etiam antequam tradatur: tamen tum de-
mum esse donatio intelligitur, cùm traditio se-
quita est. l. vlt. §. Lucius, D. de donat. l. quoties,
15, C. de rei vindic. l. qui saxum. 6, D. de donat. l.
tradita, 5, C. de his qui à non dom. quod tamen
Iustinianus contra omnē iuris rationē abroga-
uit, in l. si quis argentū, §. finautem. C. de donat.
Deinceps vidēdū est, quemadmodū superiori-
bus argumētis respōdere possimus. Ergo quod
ad primum attinet, intelligendum est, cùm an-
tiqua lege Cincia de donationibus, cautū fuī-
set, vt donatæ res tum demum intelligerentur,
cùm mancipatæ essent, vel traditæ: quemadmo-
dum in libello De donationib. docuimus: insti-
tutum esse, vt qui rei donatæ vel in dotem datæ
vsumfructum retineret, vi ipsa proprietatē tra-
didisse videretur: quia qui dominus est, usufru-
ctuarius esse nō potest, cùm res sua nemini ser-
uiat. Cùm autem ius illud primū abrogatum,
dein restitutum ab Honorio & Theodosio fuī-
set, l. pen. & vlt. C. t h. de donat. facinorofus
Tribonianus ad illa legis verba: Quisquis rem
aliquam donando vel in dotem dando vsum-
fructum eius retinuerit: contra omnem iuris ve-
teris rationem adiecit V E L V E N D E N D O . Ius
ergo singulare est in d. l. quisquis, ex quo sumi

argumentum non potest. vulg. l. quod contra,
D. de reg. iur. Ad secundum argumentū respon-
deo similiter, facinorosum Tribonianum, quo-
ties in Pandectis scriptum erat D O T I D I C E-
R E , ex Iustinianici iuris ratione reposuisse, In
dotem dare. vt apertè in d.l. quia autē, 23, D. de
iur. dot. vel D O T I D E S T I N A R E : vt l. dotis, 7,
in fi. D. eod. Certum est enim neque dotalem
fundum intelligi, nisi cuius dominium marito
quæsitum est. l. dotale, 13, §. 2, D. de fun. dotal.
neque quicquam in dotem datum intelligi, nisi
quod statim spōsi efficitur. l. sed nisi, 8, D. de iur.
dot. quinetiam aliud esse in dotem dare, aliud
tradere: in illo enim dominium, in hoc simplex
factum cōtineri. l. si ego, 9, §. 1, & §. vlt. D. eod.
Quod igitur in l. si fundum, & l. si rem æstima-
tam, D. de iur. dot. scribitur, fundum in dotem
datum, nec tamen traditum: vitiosè scriptum
est, pro D O T I D I C T V M . cùm antiquo iure
data res in dotem nulla nisi per traditionē in-
telligeretur. Tertia autem obiectio leuissima
est, partim quia regulariter vindicatur res à do-
mino, qui eam non possidet: quanuis non vi-
deatur renuntiasse possessioni, qui rem vindica-
uit. l. naturaliter, 12, D. de acq. poss. partim quia
quod sub conditione donatum est, si conditio
non implcatur, non donatum intel igitur. l. vlt.
C. de don. quę sub. mod. l. caussam, 20, in fi. D. de
manum. Ad quartum autem similiter respon-
dendum est, non nouum dominium acquiri,
sed vetus quod antè fuerat propter legem com-

missoriam renouari. Ad quintum porrò respōderi sic oportet, singulare esse ius ex lege xii tab. aut certè ex ipsius mente introductum: vt rei testamento relictæ dominium directo à testatore in heredem aut legatarium transeat: ex capite, Vt rei sux legassit, ita ius esto. l. verbis, D. de verb. sign. Dominum igitur ex lege, possessio ex apprehensione acquiritur. l. cùm heredes, 23, D. de acq. poss. Quod autem antiquissimo iure in hereditatibus & legatis institutum fuerat, id postea mediæ iuris prudentiæ autores ad bonorum possessiones & fideicommisforias restitutiones produxerunt. Sextum autē sic facile refellitur. Cùm esset iniusta fundi dotalis possessio emptori tradita: postea per euētum quo alienatio confirmata est, ipsa quoque confirmata fuit. vt l. pen. D. de fund. dotal. & l. 1, §. si vir, D. de acq. poss. Septimum autem vix responsione dignum est: cùm satis constet, instrumenti & clauium traditionem tanquam imaginariā ipsius rei traditionem intelligi: velut in vini venditione, degustationem. l. 1, & l. 4, D. de peric. & comm. & in rei grauis, veluti columnæ, vēditione, demonstrationem. l. 1, §. pen. D. de acq. poss. quod eodem modo de signato dolio Trebatius tentauerat, sed Labeo non probauit. l. 1, §. 2, D. eodm.



In dominio transferendo an præsentia et naturalis traditio requiratur.

Q V A E S T I O X I I .

V A D R I P A R T I T A distin-
ctio adhibenda est. nam & Tra-
ditio duplex fuit, vna solennis si-
ue ciuilis, quæ Mancipatio dice-
batur: altera Naturalis.auct.Vlp.
frag. 19. & Rerum aliæ mobiles, aliæ immobi-
les sunt. Quantum ad mancipationem, si mo-
bilis res erat, non dubium est quin quadruplex
præsentia requireretur: auctoris, mancipis, mer-
cis, & pretij: quemadmodum notum omnibus
est ex verbis Caij iurisconsulti apud Boet. in
Top.vbi de seruo exemplum profertur, *Qui mā-
cipium, inquit, accipit, æs tenēs ita dicit, Hunc
ego hominē ex iure Quiritium meum esse aio:
si que mihi emptus est hoc ære, æneaque libra.
deinde ære percutit libram: idq; æs dat ei à quo
mancipium accipit: quasi pretij loco. vnde illud
Varronis de ling.4. In veteribus mancipiis scri-
ptum, Raudusculo libram ferito. Quod si fun-
dus erat, qui tradendus esset, tum in rem præ-
sentem veniri oportuisse arbitror: ac sedem di-
cis caussa ponēdam, in qua emptor à venditore
collocaretur.arg.l.i,in princ.D. de ac.poss.quā-
quam in mancipatione facienda glebam agri
eodem modo adhiberi solitam arbitror: vt in
vindiciis,*

vindiciis, de quibus testatur Gell.lib. 20, cap. 9.
Ex quibus perspicuum est, venditiones huius-
modi non nisi & præsentium rerum & præsenti
pecunia fieri potuisse. De pecunia quidem, Iu-
stinianus testatur, lege xii tab. sancitum fui-
se, ne rerum venditarum dominium nisi pretio
soluto & adnumerato transferretur. §. venditæ,
31, De rer. diu. Quantum autem ad Traditionē
quæ iurisgentium erat, & dominium non iuris
Quiritium transferebat, sed in bonis rem effi-
ciebat, ut eodem loco Vlp.scribit, sic habendū
est: siue res mobilis erat, siue immobilis, semper
præsentia & rei & pretij opus erat: sed ea vel ve-
ra, vel ficta. Vera præsentia est, quæ contrahen-
tium oculis ita subiecta est, ut corporalis tra-
ditio fiat: id est, ut ait Theophilus, ut res de ma-
nu tradentis in manum accipientis transfe-
rat. §. per traditionem, De rer. diu. quanquam
tradentis aut accipientis personam negotio-
rum administratores sustineant. l. qua ratione,
9, §. 4, D. de acq. rer. dom. & l. i, §. pen. D. de acq.
poss. Itaque cum colunæ venderentur, que pro-
pter magnitudinem ponderis sine magno mo-
limento moueri non poterant, Vlp. scribit, in
rem præsentem ventum esse: & eas oculis utrius-
que contrahentis subiectas fuisse. d. l. i, §. pen.
Sic absenti res mobilis donari posse dicitur, si
ea per nuntium mittatur, eamque donatarius
recipiat: quia nuntius donatoris personam susti-
net. l. absenti, 10, D. de donat. Ficta autem rei
præsentia dicitur, cum traditio vel cogitatione,

vel nota & symbolo repræsentatur. Cogitatione, cùm iam antea aliam ob causam facta, nunc ad instans negotium accommodatur ac referatur: veluti, sicui rem commodaram, locaram, deposueram, oppigneraram, ei rem eandem vēdam, aut donem. l. qua ratione, 9, §. interdum, D. de acq. rer. dom. l. 3, §. illud, 4, D. de acq. poss. l. siue autem, 9, §. 1, D. de public. l. si rem, 62, De euict. & l. si seruus, 21, §. 1, D. de acq. rer. dom. quod eodem modo de rebus donatis traditur, si quod quis iam apud se habet, sibi habere iubatur. l. absenti, 10, D. de donat. l. quædam, 77, D. de rei vindic. nam caussa possessionis donatorum voluntate mutatur. l. nec ambigi, 6, C. de donat. l. velles, 6, C. de reuoc. don. Nota verò repræsentatur traditio, veluti, cùm claves apud horreum aut cellam traduntur. nam etsi neque merces, neque frumentum, neque vinum oculis & sensibus subiificantur, tamen clauium traditio, imago quædam rei traditionis videtur: dūmodo (vt dixi) apud ipsum horreum fiat. l. qua ratione, 9, §. item si quis, D. de acq. rer. dom. l. clauibus, 74. De contrah. empt. Similiter instrumenti traditio, id est eius scripti quo dominij auctoritas testata est, traditionis rei nota est. l. 1, C. de donat. Itémque vini degustatio pro totius dolij traditione valet. l. 1, & l. 4, D. de peric. & comm. item trabium & tignorum ob signatio. l. quod si, 14, D. eod. Et huc pertinet, quod de rerum incorporaliū quasi traditionibus dici solet, vt quia veram traditionē non recipiunt, l.

seruus, 43, §. i, D. de acq. rer. dom. vtendi concessio pro traditione valeat. l. i, D. de usufr. l. vlt. D. de seruit. Nihil autem huc pertinent l. eius qui, 46. & l. seq. D. de rei vind. vbi rei iudicio petitæ dominium, de qua in litem iuratum est, ita demum dicitur in reum statim transfire, si res præsens sit: quod si absens sit, tum demum cum eius possessionem reus ex actoris volūtate adeptus erit. Primùm quoniam etsi de eo ibi agatur, qui dolo possidere desierat (cuius hæc pœna est ut quāti in litem iuratum est, damnetur. l. qui restituere, 68, D. de ill. tit.) tamē præsens res eo loco apertissimè dicitur, quæ in defensoris potestate tum erat: absens, quæ non erat. Deinde res illa siue in potestate rei erat, siue nō, certum est eam ab oculis litigatorum & transfigetum remotam fuisse. Neque tamen iccirco superiori disputationi hoc aduersatur: quia si res in potestate aduersarij erat, iam antè dictum est, Repræsentationem esse: si non erat, Paulus disertè subiungit, caueri ab actore se possessionē traditurum. Nunc consequens est, vt de pecuniæ præsentia differamus. quod enim Iustinianus ita scribit: Etsi lege x i i tab. cauetur, vt vēditæ rei dominium nisi soluto pretio nō transcat, tamen rectè dici & iure Quiritium transfertur, scripta sit, idem tamen locum habere etiam in alienatione dominij, quod rem in bonis iuregentium efficit: cuius iuris perulgata

emptio & venditio est.l. 1, D. de contr. empt.
Quod igitur Plato de legib.x i statuerat, ne aliter
emptio venditioque contraheretur, quām
si præsens hinc merces, illinc pecunia tradere-
tur, & disertè sancit ~~δέκατη εν τῷ πολεμῳ μη πολεμεῖν~~:
neque fide de pretio habita contrahi emptio-
nem posse: id non modò in x ii tab. translatum
fuit, verū etiam ad perulgatas emptiones &
venditiones à Iurisconsultis traductum est. Ne-
que enim iis assentior, qui iure ciuili populi R.
longè aliter se rem habere tradiderunt. De ven-
ditione verò naturali, iampridem eiusdem Var-
ronis testimoniū ex lib.de Re rust.2,in x ii tab.
comment. protulimus, Grex, inquit, dominum
non mutauit, nisi sit æs adnumeratum. Sic pi-
gnora ex caussa iudicati præsenti pecunia ven-
di oportet, non sic, vt post tempus pecunia sol-
uatur. l. à diuo Pio, 15, §. sed si emptor, D. de re
iud. Itémque res fisci, l. 5, D. de iu. fisc. Quid igi-
tur est, dicet aliquis, quod tot locis scribitur,
quanuis pretium solutum non sit, tamen si fi-
deiuissor datus, pignus traditum fuerit, domi-
nium transferri, atq; adeò etiam si sine vlla satis-
factione fides emptori habita sit. l. quod vndē
di, 19, D. de contr. empt. l. procuratoris, 5, §. sed
si dedi, D. de tribut. act. §. venditę, 31, De rer. diu.
l. ex empto, 11, D. de act. cmpt. Sed intelligēdum
est Iurisconsultorum ingeniiis introductam fuis-
se præsentiam fictam: quasi venditor non mo-
dò præsens numeratum pretium accepisset, ve-
rū etiam iam acceptum emptori credidisset.

vt iam certi condicione petatur, quasi in creditum venditor abierit. vt illa verba demonstrant, FIDEM HABVERIMVS EMPTORI. FIDEM EMPTORIS SEQVVTVS. Nā quoties alienam fidem sequimur, creditum est: & de rebus creditis actio competit. l.i, & pass. D. de reb.cred.



An liberi in conditione positi intelligantur ad hereditatem vocati.

Q V A E S T I O X I I I .

BS C V R A quæstio est, quæ vulgo in scholis sic effertur, An liberi in cōditione positi, sint positi in dispositione. veluti, Testator ita scripsit: Titius mihi heres esto. si sine liberis moriatur, tum meām hereditatem Sempronio restituito. Titius liberos suscepit. Queritur vtrum is hereditatem illam ab se aditam & quæsitam feruare, ac moriens liberis suis restituere debeat: an vrō eius alienādæ potestatem habeat. Nam heredi fiduciario non licere ne iure quidem antiquo vltra suum quadrantem alienare, constat ex l.3, §.res quæ, D. ad Trebell.l. vlt. §.vlt. D. de legat. 2.& nouo Iustiniani, l. vlt. §. sed quoniam, C. comm. de legat. & Nou.39. Dubitandi caussam afferre hæc possunt. Si liberi ad hereditatem vocati sunt, aut institutione

aut fideicommisso vocati sunt, instituti certè dici non possunt: quia neque solennia, ne quo alia idonea instituendi heredis verba usurpatæ sunt: de quibus tex. est in l. quoniam, 151. C. de testam. & apud Vlp. cap. frag. 21. Itaque nihil ad hunc locum pertinet l. si quis ita, 82, l. Lucius, 35, D. de her. inst. vbi traditur heredes legitimos in conditione positos substituto extraneo preferri: quia dubitari non potest, eos qui in conditione positi sunt, heredes institutos non esse. Substitutos autē propterea illis postponi, quia sub conditione quę defuerit, substituti fuerant. Eodem accedit quod scribitur in l. si quis eūm, 16, §. vlt. D. de vulg. subst. sola hæc verba, Si filius meus me viuo moriatur, vim institutionis filij non habere. Sequitur ut videamus an fideicommissi iure liberi ad hereditatē admitti possint. quod certè multis de causis non videtur. primum, quia nullis verbis idoneis fideicommissum expressum est. quanuis enim fideicommissorum concipiendorum certæ, directæ & solennes formulæ non fuerint, quemadmodum scribit Vlp. cap. frag. 24. tamen verbis aliquibus ad enuntiandam testatoris voluntatem idoneis opus fuit: quæ verba Precaria dicebantur. vnde Precaria dispositio in l. quærebatur, 19, D. de test. mil. l. cùm proponebatur, 64, D. de leg. 2. l. cùm proponas, 16, C. de pact. Sic aliis locis traditur, nihil interesse, qua lingua fideicōmisfa relinquuntur, modò verba idonea sint, siue Latina, siue Græca, siue Gallica, siue Punica: in-

quit Vlp.in l.fideicommissa,ii,D.de leg.3. Item
in fideicommissis spectari sententiam quibus-
cunque verbis expressam: sed tamen verbis.l.v-
bi,19,§.1. Ad Trebell. Nam quod alibi traditur
nutu fideicommissum relinqu posse: l. nutu,21,
D.de leg.3.l,& in epistola,22,C. de fideic. con-
stat ita esse intelligendum , cùm ab altero ido-
nea verba pronuntiata sint, quibus testator nu-
tu respondit. Cùm autem in illa formula, quam
superius protulimus , verba nulla neque pre-
cā-
ria , neque imperatiua , neque optatiua, neque
cohortatoria pronuntiata sint : quid est quod
fideicommissi ius ex illa inducere possimus?
Iam verò vt conditionis istius vim, naturam, &
proprietatem attendamus , tamen hanc vnam
eius ανπιστοφίω & cōuerisionem efficiemus, Si nō
sine liberis moriatur, ne restituto. vt l.inter so-
cerum,26,§.1, De pact.dot.l.quibus diebus,40,
§.2, D.de cond. & demonst.l.siquis ita,83,D.de
her.inst. Posteriorem autem formulam nullam
ad fideicommissum inducendum vim habere,
constat ex l.Titia,59, §. vlt. D.de manum: test.
Hæc cùm ita sint, tamen probabilius est, distin-
ctionem adhibendam esse, vtrūmne testator li-
beros instituerit, an extraneos. nam si filios in-
stitucret , coniectura pietatis suadet , nepotes
extraneo fideicommissario præferri: propter Pa-
piniani auctoritatem in l. cùm auus, 102, D. de
cond.& dem. vbi statuit , vt etiam si auus con-
ditionem illam non adiecerit, Si sine liberis mo-
riatur, tamen propter pietatis coniecturam pro-

adiecta censerit. quod Iustinianus confirmauit,
in l.cum acutissimi, 30, C.de fideic. & l.genera-
liter, 6, C.de instit. & subst. vbi cum uterque no-
num ius disertè in parentibus & liberis consti-
tuat, & rationem illam cōiecturæ pietatis sub-
iungat, iis solis propriam ac peculiarem: diffi-
cile dictu est, dispositionē legis nō intra ratio-
nis & æquitatis suæ fines coercendā esse. l. quod
dictum est, 32, De pact. l. prospexit, 12, D. qui &
quib. man. lib. quanquam naturales etiam à Iu-
stiniano comprehenduntur. d.l. 6. Superioribus
autem argumentis sic respondendum est, dire-
cto quidem institutos heredes dici non posse:
sed fideicommissum ex pietatis & charitatis cō-
iectura, & perspicua voluntate testatoris adiu-
uari: quasi suos liberos extraneo prætulisse in-
telligatur. primùm quia in fideicommissis non
verba, sed volūtas spectatur. l.cum verum, 16, C.
de fideic. Deinde quia in patris volūtate existi-
māda, maior pietatis quam verborū ratio duci-
tur. l.vnū ex familia, 67, §. vlt. D. de leg. 2, l. Ti-
tius, 25, §. 1, D. de lib. & post. l. tale pactum, 40, §.
vlt. D. de pact. vbi benignè presumitur de patris
voluntate, quanuis verba repugnēt. Postremò
quia etiam illa conditione non adiecta nihilo-
minus nepos vocaretur, dubitari nō debet, eos
illa adiecta multo magis admitti debere: pro-
pter regulā perulg. qua traditur, Expressionē
eorum quæ tacitè continebantur, maiorem vim
obtinere. l. si ita legatum, 6, §. 1, de legat. l. inter
focerum, 26, §. cum inter, D. de pact. dotal.



Inter duorum fratrū liberos, utrum patrui hereditas in stirpes, an in capita diuidenda sit.

Q V A E S T I O X I I I .



A V S S A E constitutio hæc est: Si tres fratres fuerint, Primus, Secundus, Tertius, quorum Primus vno filio relicto deceperit: Secundus, duob. vtrum hereditas Tertij (que ccc. puta aureorum est) in duas tantum partes diuidenda sit, vt Primi filius, CL: reliqui duo simul tantumdem auferant: an verò in tres, vt singuli centenos obtineant. Diuisæ Doctorū sententiæ fuerunt, cùm alij in capita & viriles portiones partiendam hereditatem contéderent, alij in stirpes. Horum autem argumēta ferè hæc reperio. Primum est ex Nou. 118. (sive Auth. cesante, & seqq. C. de legit. her.) vbi Iustinianus statuit, vt fratribus liberi, patrum defuncti, cuius de hereditate agitur, excludant: quanvis pari omnes, hoc est, tertio gradu distent. Ex quo intel ligitur, Successionem sive Repræsentationem illis concedi: hoc est, quanvis tertio gradu sint, tamen vt patrem suum repræsentent, singi in ipsius locum ascendere, ac secundum gradum obtinere. Successio autem ius diuisionis in stirpes peperit. s. cùm filius, 6, de her. quæ ab intest. quare cùm in fratribus liberis repræsentatio sit,

consentaneum videtur, diuisionem in stirpes iis concedendam esse. Secundum argumentum est ex eadem Nouella, vbi constitutum est, ut successio in capita post fratres demum, & fratribus liberos admittatur. Ex quo effici disputat, quādiu vel fratres, vel fratribus liberi extabunt, non in capita, sed in stirpes succedi. Tertium est (ut noui disputatoris verbis utamur) quod cum idē Imperator constituerit filios fratris, & non vltiores in parentis locum sucedere, necessariò etiam illud constituisse videtur, ut in stirpes hereditatem diuident, cum effectus repræsentationis hic sit, ut diuisionem in stirpes inducat. Itaque d. Nou. §. reliquum, scriptum ita est, Et quotcunque tandem fuerint, tam magnam ex hereditate portionem capiant, quantam percepturnus fuisset pater eorum, si superuixisset. Quinetiam scriptor d. Auth. cessante, Vocantur, inquit, primò fratres, fratribusque filij in stirpes. Quartum, Bartholi inuentum est, quod si fratribus istorum liberi in capita succederent, ea consequeretur absurditas, ut eiusdem hominis hereditas modò in stirpes, modò in capita diuidetur. nam si quatuor essent fratres, primus uno relicto filio, alter duobus, tertius sine liberis decessisset, iure illius eiusdem Nouellæ hereditas tertii in tres tantum partes, ac proinde (ut Bartholus loquitur) in stirpes diuidetur. quod si mutato casu dicamus quartum fratrem uno pluribusque liberis relictis decessisse, & tum hereditatē tertij in capita diuidendam esse: eius-

dem hereditas primo casu in stirpes: altero ve-
rò in capita diuidetur. Hæc cùm ita sint, con-
trariā tamē sententiam probabiliorem esse ar-
bitror: Primùm quia cōstat iuris antiqui ratio-
nem, per mille amplius annos , vsq; ad d. Nou.
118. hanc fuisse , vt in hac quæstione hereditas
non in stirpes, sed in capita diuidetur. nā cùm
diuisio in stirpes , non, nisi vbi successio est, lo-
cum habeat, relinquitur, cùm lex xii tab. nullam
in agnatis successionem instituerit, heredi-
tatem inter eos diuidi in stirpes non posse. Ita-
que siue frater, & fratris mortui filius extarent,
ad tertij fratris hereditatem solus frater super-
stes illo iure antiquo admittebatur. l.3, C.de le-
git.hered.l.3, §.si duo,in fin. D.de legit.tut. siue
tres fratres essent, unus ex his filium, alter duos
reliquisset , hereditas tertij in tres partes,id est
in capita,inter istos patruelis diuidebatur. l.2,
§.1,D.de su.& leg.l.1,§.vlt.D. si pars her.pet. Itē
apud Vlp.cap.frag.25,§.agnatorum:& apud Iu-
stinian. §.si plures,de leg.agn.tut. vbi hoc idem
Theophilus in eandem sententiam interpreta-
tur. Fratrum autem defunctorum liberos , non
in parentum suorum locum successisse, vel hinc
perspici potest: primùm quòd si patruum ali-
quem superstitem haberent, excludebantur: vt
modò dictum est ex d.l. 3,C.de leg. her. deinde
quia frater , quanuis fratri per patrem sit agna-
tus , ac proinde ad fratris hereditatem per in-
termedium patris personā quodammodo per-
uenire videatur, suo tamen & proprio suæ per-

sonæ iure , non quia patris in locum succedit, hereditatem obtinet. pater enim iure antiquo liberis, nisi contracta fiducia, non succedebat. §. vlt. de leg. agn. tut. Quæ cùm ita se habeant, necesse est, eos qui contrariam sententiam tuētur , fateri se nisi nouo Iustiniani iure adiuvari non posse. hoc est, d. Nou. 118. vbi quia ius representationis in fratum liberis permisum est, in circō disputant , etiam ius diuisionis in stirpes admissum esse. Sed videamus ne longè alia Iustinianici juris ratio fuerit : primū quia tum demū diuisioni in stirpes locus est , cùm ad eos hereditas defertur , qui è defuncti stirpe , id est sobole ac progenie sunt. veluti cùm aui hereditas ad eius nepotes aut pronepotes defertur. §. cùm filius, 6, de her. quæ ab int. Itaque, in stirpes & ex stirpibus succedere , idē sunt. l. 2, C. de suis & leg. Quare cùm fratri filij ex patrui stirpe ac progenie non sint , absurdum est hereditatem eius dici posse in stirpes diuidi. neque in tota illa Nou. 118. aut Nou. 127. vsquam reperiatur , Iustinianum illa loquutionis absurditate abusum esse: & si quis vel Irnerius, vel Irnerij similis, in cōcipiendo auth. cessante, absurditate illa est vsus, imperitè illum & inconcinnè (vt s̄æpe aliâs) loquutum esse contendō. Secundum argumentum est, quia ius nouum à Iustin. contra vetustissimi & perpetui iuris rationē certis in personis introductum, earum personarum finib. coercēdum ac restringendū est. quod non modò fieri disertè iubet, verūm etiam nomi-

natim priuilegium appellat: hoc est, personale beneficium, quod personas, quarum proprium est, non egreditur. I.i, D.de constit. Princ. Τὸ δὲ τειοῦντον περιόμιον (inquit) ἐν ταύτῃ τῇ τέξει τῆς συγενείας μόνοις παρέχομεν πᾶς τὸ αἰδελφῶν αἵρετων ἢ φηλείων γῆσις, ἢ δικαιαπεράσιν, ἵνα εἰς τὰ τέλια ιδίων γενέων δίκαια ὑπεισελθῶντι οὐδενὶ δὲ ἄλλῳ παντελῶς περισσώπως ἐκ ταύτης τῆς τέξεως ἐρχομένῳ τούτῳ δίκαιον συγχωροῦμεν. id est, Huiusmodi autem priuilegium in hoc cognationis ordine solis concedimus fratribus aut sororum filiis, aut filiab. vt in parentum suorum iura succedat: nulli autem omnino alijs personæ per hunc ordinē venienti ius istud concedimus. Et paulo pōst: Οπότε δίκαια πᾶς τὸ αἰδελφοῦ καὶ τῆς αἰδελφῆς παψὶ τειοῦντο περιόμιον δέδωκαμεν, ἵνα τὸν τέλον γενεών τοις πειστούτες τόπον, μόνοι τείπου ὅντες βαθμοῦ, μετὰ τὴν περισσόν τοῦ δευτέρου βαθμοῦ, περισσές τινὲς κληρονομίαν καλοῦνται. id est, Cūm igitur fratris & sororis liberis istiusmodi priuilegium dederimus, vt in parentum locum subeuntes, soli quanuis tertio gradu sint, tamē cum iis qui primo ac secundo gradu sunt, ad hereditatem vocentur. Primum autem gradum dixit pro, Proximum, & quem nullus eo casu antecedit. Cūm igitur perspicuum sit, Iustinianum non simpliciter, omnino, & indefinitely fratrum filiis beneficium illud concessisse, vt in successione patres suos representent, & vna cum patribus in stirpes succedant, sed præcisè, restrictè, ac definite, tum demum cūm defuncti frater extat, qui cum iis concurrat: cauedum est ne fines nobis ab illo circumscriptos

migremus. Constat enim nouas constitutiones strictè accipiendas esse , ne suos terminos excedant: atque vbi de veteris iuris abrogatione nō constat, ci standum esse. vulg.l. præcipimus, C. de appell. vt multo consultius esse videatur, veteris iuris certam & exploratam auctoritatem sequi, quām audaces coniecturas & interpretationes contra legislatoris verba & mentem cōminisci. Tertium enim argumentū, quod Iustiniiani mentem aperiet, est eiusmodi , quod quæ ratio illum mouit, vt quamminimum ei adimere, qui totum habiturus iure antiquo fuerat, nimirum fratri superstiti: ea ratio locum in istis patrueibus non habet, quibus idem illud ius antiquum hereditatem similiter in capita distribuebat. Quartum est, quia quæ benignitatis ratio eundem ad istud ius nouum instituendū adduxit: nimirum vt pars hereditatis aliqua misericordis propinquus concederetur, qui antea nullā habebāt: ea ratio locum in hac specie nō habet. nā antiquo, immutabili , ac perpetuo iure prospectum illis fuerat, aditusque ad patrui hereditatem æquè vt aliis patebat. Quemadmodum autem vbi eadem ratio est, ibi ius idem statuendum est, l. vlt. C. ad leg. Falc. ita vbi legis ratio locum non habet, eo lex producenda non est. l. ex facto, 43, D. de vulg. & pup. l. in omni, 13, D. de adopt. Quintum est , quod cum Imp. toties in illa Nouella profiteatur , se ius hereditatum velle ad naturalis æquitatis rationem reuocare: cōtrà hoc loco facere videretur, & subtilitatem

potius ac fictionem sequi, quām naturam imitari: quæ perspicuè suadet, vt hereditas inter eos qui pari gradu discrepat, pariter æquabilitérq; distribuatur. l. 2, §. hereditas, D. de suis & legit. Sextū est, quòd veteris istius iuris ratione nulla posterius defūcti fratris liberis iniuria infertur: propterea quòd æquè accidere potest, vt plures liberos relinquat, ac prius defunctus. vbi autem fortuiti casus par in vtranque partem ratio est, neuter lædi videtur. l. si pater, 12, C. de inoff. test. Eāmque sententiam video Harmenopulo probatam esse, lib. 5, tit. 8. & in German. comit. & Gallic. parlamentis approbatā. Tribus autē superior. argumentis facillimū est vna responsione satisfacere. nam cùm ex vna illa Nouella ducta sint, respondendum est, nō si Iustinianus certis in casibus & personis agnatorum representationem permisit, iccirco in omnib. permisisse. quinimo ex contrario argumentari licebit, quoniam certis tantum ac definitis in personis id permisit, in cæteris omnib. veteris iuris prohibitionem reliquisse. arg. l. cùm prætor, 10, C. de iud. l. ex eo, 18, D. de test. idque ipse apertè ac dilucidè iis quæ superius protulimus locis te status est. Quantum igitur ad primum argumētum, fratris quidem filium patruo ad alterius patrui hereditatem prætulit, quanvis pari gradu sit: quoniam proclivius atque facilius illi visum est, hereditatem descendere, quām ascendere. Quantum ad secundum, similiter specialis lex fuit, vt post fratris liberos in capita succe-

deretur: nō vsque quaque & indefinitè, sed tum
demum cùm vna cù patruis concurrerent. Quā-
tum ad tertium, diximus hoc priuilegium, per-
sonaléque beneficium esse, ac nominatim ad eū
vnum casum pertinere, quo frater defuncti qui
secundo gradu est, cum alterius defuncti fratris
liberis, qui tertio gradu sunt, contēdit. nostram
autem quæstionē ad eum casum pertinere, quo
patruales inter se contendunt: qui omnes pari
gradu sunt, totidémque gradib. à defuncto dis-
iuncti sunt. Quare cùm Iustinianus certis tātum
in personis à iure communi recessit, quibus in
casibus non recessit, ius commune retinendum
esse. l. quod contra, 141, D. de reg. iur. l. si ita scri-
ptum, 16, D. de manum. test. Quantum autem
ad quartum, primūm iam antè dictum est, A-
gnatorū hereditates nunquam in stirpes diuidi:
deinde si maximè diuiderētur, tamen negādum
est absurdum esse, vnius eiusdēmque hominis
hereditatem variè pro casuum & personarum
varietate diuidi: hoc est modò in stirpes, modò
in capita. Nam etiam antiquo & perpetuo iure
cuius hominis hereditas, si ex duob. filiis nepo-
tes succedebant, in stirpes diuidebatur: eiusdē
hereditas, si fratrū filij, & (vt vulgus loquitur) ex
fratrib. nepotes succedebant, in capita diuide-
batur. l. 1, D. de suis & legi. l. Papin. 8, §. quoniā,
D. de inoff. test. Sed bene habet. Cùm hæc supe-
rib. annis scripsissimus, ac sæpe disputassimus,
ecce nobis Fragmēta ex lib. Instit. Caij, singula-
ri P. Pithœi eruditissimi viri beneficio in lucem
prodie-

prodierunt: in quib.tit. 16 caput hoc extat, quo disputatio illa nostra planissimè confirmatur. Quòd si defuncti nullus frater extet, sed sint liberi fratrum, ad omnes quidem hereditas pertinet. sed quæsitum est, si dispari numero sint, fortè nati ex vno, vnum vel duo, & ex altero, tres aut quatuor, vtrum in stirpes diuidenda sit hereditas, sicut inter suos heredes iuris est, an potius in capita. Iamdudum autem placuit, in capita diuidendam hereditatem. Itaque quotquot erunt ab vtraque parte personæ, in tot portiones fuerunt. vbi fortasse legendum est, Tot portiones erunt. Quinetiam paulo pòst caput hoc ex Paulo Iuriscon. subiungitur, Si duorum fratrum sint liberi, non in stirpes, sed in capita hereditas distribuitur: scilicet vt pro numero singulorum virium distribuatur hereditas. vbi non dubito, quin restituendum sit M A R I V M, vt fœminas excludat: quemadmodum capite in sequenti ostenditur.

G.j.



*An alterius generis numos, quādū cuius crediti sunt,
uel exigere, uel soluere liceat.*

Q V A E S T I O X V .

A D huius quæstionis explicationē primū illa regula pro præmunitione adhibenda est, Regulariter neque creditorem aliud pro alio accipere, neque debitorem soluere compelli l.2,D.si cert.pet.l.eum à quo, 16, & l.seq. C.de solut. l. sed addes, 19, §.si dominus, D.locat. Tum illa, In obligatione numerū neque qualitatis, neque quātitatis, sed solius potestatis rationem duci. Qualitas autē primū in materia, deinde in forma publica consistit: vt nostris temporibus cudi solet Aureus solaris: olim Numus victoriatus. Quantitas verò primū in pondere, deinde in numero consistit. Potestatem autem appellamus, valorem ei iure publico attributum: vt cùm aureæ, vel argenteæ, vel æreæ, vel etiam ferreæ, atque adeo coriaceæ laminæ certa potestas publica auctoritate attribuitur. Quāquam Quantitatis nomine plerunque Iurisconsulti vtuntur pro valore & potestate, vt mox dicemus: sed quia quantitas consuetudine loquendi ex pondere & numero aestimatur: propterea veniam mihi dari cū pio, si perspicuitatis & disciplinæ caussa Quantitatem à Potestate in præsentia distinguam.

Atque ut paulo copiosius de re ad cognoscendum præclara differamus, intelligendum est Numos, non ex materia, sed ex hominum instituto, & publica lege æstimari. ac propterea non modo ex auro & argento, verum etiam ex plumbbo, atque adeò (ut modò diximus) ex corio cudi interdum solere. Cæsar lib.5. Utuntur autem minimo ære, aut auro, aut laminis ad certū pondus examinatis pro numo. Sic enim locum illū emendauimus. Seneca lib. de benef. 5, c. 14, AEs alienū (inquit) habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percussum: quale apud Lacedæmonios fuit: quod usum numeratæ pecuniæ præstat. In quam sententiam extat historia Pandolphi Collenucij & Antonini Florentini Chron. an. 1240. Nam cum Imp. Fridericus 11, propter exhaustam diuturnitate Italici belli pecuniam, coriaceam monetam cui di iussit, pretium ei, siue, ut vulgo loquimur, valorem aurei Augustalis imposuit: statuitque ut eo pretio ab omnibus in emendo vendendōque sumeretur: simulque per præconem edici imperauit, bello finito qui hanc monetam ad Came ram Imperialem referret, aureum Augustalem recepturum. quod cum ab ipso bona fide præstitum fuisset, documentum, inquit Pandolphus, apertissimum præbuit, valorem & pretium monetæ, non materia, sed hominum instituto & conuentione æstimari. quod idem in Addit. ad Chron. Abb. Vipsberg. relatum est. & apud Naucler. Generat. 42. Quinetiam Helmodus

Chron. cap. 395, Apud Ranos, inquit, non habetur moneta, nec est in cōparandis rebus cōfuetudo numorum: sed quicquid in foro mercari volueris, panno lineo comparabis. Perspicuum est igitur, Numi eandem quam Chirographi rationem esse. non enim chirographum ex materia, id est, tabulis, cera, membranáve, sed ex iure & potestate æstimatur: vt cum pignori chirographum traditur in l. si conuenerit, 18, De pign. act. aut cum debitori redditur: l.2, D. de pact. aut mortis caussa donatur. l. mortis caufsa, 18, §. Titia, De mort. causs. don. aut cum debitori legatur: l.3, §.1, De lib. leg. l. qui chirographū, 19, De legat. 3. l. seruū, 44, §. eū qui, De leg. 1. Atq; ob eā causiam argutissimè disputatū est à Iurisconsultis, in pecunia nō corpus, sed potestatē spectari (quā tamē illi Quantitatem, vt superius diximus, appellant) quinetiā numos non inter res corporales sed inter incorporales numerari. l. quisquis, 95, De leg. 3. l. planē, 34, §.2, D. de leg. 1, l. si is cui, 94, D. de solut. l. Lucius, 24, D. depos. l. sed & si, 10. D. de acceptil. l. si pœnæ, 19, §. si falso, l. qui heredis, 45, D. de cond. indeb. l. vlt. D. de adimend. leg. l. 5, De impens. l. sed etsi, 10, De accept. l. si heres, 68, ad Treb. quemadmodum in tessera frumentaria dicimus, non corpus, sed quantitatem spectari. l. Titia, 87, De leg. 2. Nō enim ob corpus, aut materiam, aut imaginem insculptam numus repertus est: sed electa materia est, inquit Vlp. cuius publica æstimatio difficultatibus permu-

tationum æqualitate quantitatis subueniret. 1.
 1, D. de cōt. empt. quibus verbis *iōōdrwāpūas* Vlp. significat, quam pariationem fortasse non incommode dicere possemus. Nunc ut ad institutum reuertamur, & superioris nostræ præmunicationis vsum aliquem ostēdamus, primū insig-nis doctrina extat in l. quæ extrinsecus, 65, D. de verb. obl. vbi nihil obesse stipulationi dicitur, si in appellatione rei varietur: veluti, inquit, si stipulati denarios (erant autē argētei) tu eiusdem quātitatis aureos spōdeas, obligaris. Quibus ex verbis intelligitur, cùm dicimus, Aureū, vel vigintiquinque denarios, vel centum fester-tios (quanti videlicet Aureum fuisse constat) nō plures res, & alias atque alias numerari: sed vnam eandēmque rem: nimirum valorem siue potestatem pluribus nominibus appellari. ac proinde cùm quis aureum debet, non præcisè corpus eiusmodi aliquod debere, sed potius i-psius valorem: & si quis pro aureo vel x x v de-narios, vel c. fester-tios reddat, non aliud pro a-lio, sed eandem rem reddere. Itaq; Imp. in l. vn. C. de coll. aer. & l. vn. C. de arg. pret. qu. thes. sta-tuit, vt in publicis collationibus liceat, pro x x æris libris, vnū auri solidū, pro singulis argenti, quinos æreos inferre. In eāmque sententiam Liuius lib. 38, Pro argento, inquit, si aurum da-re mallent, darent, conuenit: dum pro argen-teis decem, aureus vnum valeret. Denique pecuniae in solutionibus permutatæ passim exem-pla videmus: isq; Collyb⁹ dicebatur. vt in Orat.

pro Quintio, vbi P. Scapula C. Quintio pecuniam crediderat, numis scilicet Gallicis: quam Quintius Romæ & Romanis numis curare debbat. Cùm autem de eo collybo satis inter ipsos conuenire non posset, sumptus C. Aquilius eius controuersiæ arbiter fuerat, qui Quæstores vrb. talium permutationum peritos in consilium adhibuit. Hoc eò per te agebatur (inquit Cicero, Aquilum alloquens) quòd propter ærariam rationem non satis erat in tabulis inspexisse, quantum deberetur, nisi à Quæstoribus quæsisses, quantum solueretur. Decidis statuisque tu propter necessitudinem quæ tibi cum Scapulis est, quid iis ad denarium (id est, Romana pecunia) solueretur. Similiter Paulus in l. creditorem, 99, D. de solut. Creditorem (sic enim legendum esse cùm ex vulgatis libris, tum ex re ipsa intelligitur) non esse cogendum in aliam formam numos accipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit. Ex quo ratiocinari licet, si vbi creditor damnum non patitur, nulla planè formæ ratio habetur: primùm obligacionem pecuniæ non in forma signi publici confistere, sed potius in valore ac potestate. Deinde figuram illam, nō esse verè ac propriè formam numi essentialē, quæ (vt vulgo loquimur) dat esse rei, & per quam numus est, id quod est: sed formam numi esse legem publicam, id est valorem & potestatē ei publica lege impositam. quia numus non natura, sed lege censetur: vt Arist. Ethic. v scribit, *καὶ δὴ τὸν τελοῦντα ἐχειν νόμισμα*,

ὅπου φύσις, αἱλακαὶ νόμωδεὶς ἐφ' οἷς μεταβάλλειν καὶ ποιῆσαι ἀχρηστον. Hinc illud Senecæ de benef. 6,
 Cūm dicimus beneficium illi reddi, non hoc dicimus, illud nos quod accepimus, reddidisse: sed aliud pro alio reddere. Est enim rem pro redare. quidni? cūm omnis solutio non idem reddat, sed tantudem. nam & pecuniam dicimur reddidisse, quanvis numerauimus pro argento aureos. Constat igitur, cūm is qui C. H-s pro aureo reddit, non aliud pro alio, sed aureum ipsum reddere intelligatur: licere debitori, vel argenteos pro aureis, vel aureos pro argenteis soluere: dummodo nihil creditoris intersit. Interesse autem non ex affectione, sed ex rei familiaris detrimento æstimari. l.3, D. de dam. infec.
 quanquam in minutulis numis soluendis, Parisiensi Arresto non assentior, quo Pet. Rebuffus testatur decretum fuisse, ut pro numis aureis liqueat etiam duplos (vt ipse loquitur) & liardos soluere. quasi verò non interdum plurimi, vel ad gestationem, vel ad alia commoda intersit. l.4, §. melior, D. de in diem addic. Verùm hæc quidem ita se habent. Nunc alia quæstio exoritur: Numorum potestate mutata, vtrum eadem species quæ credita est, an verò æstimatio debeat. Ego distinctionem adhibendam arbitror: vtrum in ipsa numorum qualitate aut quantitate, an verò in potestate & valore mutatio cōtigerit. Qualitatem intelligimus in materia, vt suprà diximus: veluti si Scutati qui olim in Gallia obryzati cudebantur, postea minus puro ex

auro percutiantur: vel Capitati (quos Testones vulgo appellat) qui argentei olim erant, postea mixto ex argento feriantur. Potestatis autem mutationem intelligimus, veluti quæ frequenter in Gallia contingit: ut cum aureus scutatus qui superioribus annis erat tantum assiculorum L, nunc pro LX impenditur. De quantitate & pondere similiter Plin. lib. 33, cap. 3, testatur, asses primum librales fuisse, post sextantarios: tum deinde vnciales: postremo semunciales. Et de potestate Volusius Mecianus scribit, Sestertium cum ab initio duorum assium & semis esset, unde nomine reperit: post ad quatuor asses excreuisse. Item denarium cum initio x assium esset, post ad x vi adauictum esse. Neque obstat quod scribitur in l. 3. D. de eo quod cert. loc. l. 1. D. de contr. empt. l. 3. D. de in lit. iur. vnam eandem ac perpetuam numorum potestatem vbique fuisse. Id enim intelligendum est de ea potestate, quæ lege lata imposita, deinceps post legem latam vbique seruabatur. neque olim nisi rarissime, ac ne singulis quidem seculis mutabatur. Ergo quantum ad qualitatis, aut quantitatis mutationem attinet, hoc iuris esse arbitror, ut qui aureum non obryzatum pro obryzato reddit (si modò ille publica lege probatus sit) non aliud pro alio reddidisse videatur: contra l. 2. D. si cert. pet. sed planè eundem pro eodem. quoniam (ut suprà probatum est) in numeris neque qualitatis, neque quantitatis, sed solum potestatis ac valoris ratio ducitur. Tanti

enim iam est non obryzatus, publica lege probatus, quāti olim obryzatus fuit: tātūm deniq; mercis pro vulgari dabitur, quantum olim pro obryzato dabatur. eiūsque rei argumentū extat apud Plin.lib.33,cap.3,vbi scribit,Bello Punico 1,cūm impensis Resp. non sufficeret,librē pondus æris imminutum , constitutūmque vt asses sextantario pondere ferirētur. Ita quinque partes(inquit) factē lucri: dissolutūmq; æs alienum. Quinetiam C. Manlius apud Sallust.in Catilin. Sæpe,inquit,maiores vestri miserti plebis R.decreatis suis inopię eius opitulati sunt,ac nouissimè , memoria nostra , propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis , argentum ære solutum est. Quantum autem ad potestatis mutationem, aliud esse iuris existimare: quoniam, vt superius docuimus , qui olim aureum credebat, aut debebat, non tam speciem ipsam numi,quām valorē, id est cētū leſtertios, credere,vel debere intelligebatur.l. quæ extrinsecus,65, De verb. obl.ac proinde siue pretium decreuerit, debitorem tot aureos duntaxat red dentem quot acceperat, minus quām acceperat reddere intelligi: siue pretium creuerit, petitorē tot aureos petentē, quot crediderat, plus quām crediderit, petere. eiūsque reciprocationis argumētum est primum par eadēmque contrariorum potestas.l.si ex toto,8,De leg.1.deinde per uulgata iuris Regula, Secundum natu ram esse, cōmoda cuiusque rei cum sequi, quem sequūtur incommoda. AEquè autē accretionis

commodum, ut decretionis incommodū, & ad debitorem & ad creditorē pertinere, argumen-
to est obligatio frugum, vini, olei, frumenti : de
qua in l. vinum, 22, D. si cert. pet. l. vlt. D. de cōd.
trit. l. quoties, 59, D. de verb. obl. vbi autē for-
tuiti euentus neutram in partem ratio ducitur,
neuter lædi videtur. l. si pater, 12, C. de inoff. l. de
fideicommissio, 11, C. de trans. Tertium argumē-
tum ex l. 2, C. de vet. num. pot. vbi Imp. statuit,
ut pro imminutione quæ in æstimatione solidi
fortè tractatur, omnium quoque specierum pre-
cia decrescant. Qua in lege nomen specierum
nō de rebus cuiusvis generis, sed potius de spe-
ciebus monetæ & pecuniæ accipiedum arbit-
tror : ut vna cum aureo gradatim omnes reli-
quæ monetæ pro rata cuiusque portione decre-
scant. Verùm hæc quidem ita se habent: vbi mo-
ra per debitorem aut creditorem commissa nul-
la est. nam vbi mora interuenit, omnis utilitas
restituēda est. l. si sterilis, 21, §. 3, D. de act. empt.
vel si dies in creditoris fauorem adiecta sit. l. si
ita relicturn, 43, §. Pegasus, l. cùm pater, 77, §.
creatoris. De leg. 2. l. eum qui, 16, D. de ann. le-
gat. l. 3, §. cùm Pollidius, D. de vfur.

In lite frugum debitarum per iudicem estimanda, quæ ratio tenenda sit: id est, cuius temporis, aut loci pretium spectari oporteat.

Q V A E S T I O X VI.

V P E R I O R I quæstioni finitima hæc est: ad cuius explicationē sex regulæ iuris adhibendæ sunt: quarum hæc prima est, Frugum pretia pro temporum & locorum varietate plerunque variari. l. 3, D. de eo quod cert. loc. l. pretia, 63, §. vlt. D. ad leg. Falcid. altera est huiusmodi, Neque creditor aliud pro alio accipere, neque debitor soluere cogitur, nisi inter ipsos conuenerit: veluti pecuniam pro frumento, vel vino, vel oleo. l. 2, D. de reb. cred. l. sed addes, 19, §. si dominus, D. locat. Aliud enim pretium est, aliud merx. l. si ita, 42, D. de fideiuss. l. eo quod, 10, C. si cert. pet. l. eum à quo, 16, & l. seq. C. de solut. nisi officio Iudicis iusta & probabilis cauſſa videatur. l. si domus, 71, §. qui cōfitetur, De leg. i. l. possessionum, C. cōm. vtr. iud. l. non dubium, 14, in fin. De leg. 3. l. cūm alienam, C. eod. Tertia est huiusmodi, Vbi mora commissa non est, & res constituto loco petitur, qui fruges debet, si qualitas adiecta non sit, quaslibet dando, id est etiam vilissimas, liberatur. l. si is qui, 50, §. 1. l. qui fideiussorem, 52, D. mandat. l. 4, D. de tritic. vin. ol. Quarta hæc

est, Vbi mora per debitorem commissa est, tum omnem frugum vtilitatem præstari: ac propter ea quanti plurimi fruges siue contractus siue iudicij tempore fuerint, æstimari. l. 3, §. vlt. & l. si sterilis, 21, §. 3, D. de act. empt. Quinta hæc est, Vbi mora nulla est, frugum debitarum æstima-
tio, si pura obligatio est, in strictis iudiciis ex tē-
pore litis contestatæ: in aliis, ex rei iudicatæ tē-
pore spectatur. l. vinum, 22, D. de reb. cred. l. vlt.
D. de cond. tritic. l. 3, §. in hac; D. commod. Cu-
ius differentiæ hæc ratio est, quod in illis iudex
ad certam quantitatem in iudicium deductam
astrictus est: in his verò, liberam ex bono &
æ quo æstimandi potestatem habet. l. 2, §. nunc.
de officio, & l. vlt. D. de eo quod cert. loc. qua
de caussa plus petitionis periculum in iis versa-
tur. l. 1, D. de interrog. in iur. Neque huc perti-
net l. pen. D. de cōd. trit. non enim de frugibus,
quarum æstimatio pro temporum & locorum
varietate mutatur, sed de specie, id est de homi-
ne mortuo ibi quæritur. Sequitur V I, Frugum
debitarum æstimatio, si dies adiecta est, ex eius
diei ratione ineunda est. ex d. l. vlt. & l. quoties,
59, D. de verb. obl. cuius obscura illa clausula
videtur, Alioqui aliás rei captio erit. Nam vt si
pluris fruges sint, promissor grauabitur: sic si mi-
noris, stipulator. Quare videndum est, ecquid
potius ita legendum sit, ALIOQVIN ALIVS
REI PACTIO ERIT. quādoquidem ALIVS
genitiuum nostri quoque usurpant. l. cum ma-
nu, 80, D. de cont. empt. Ergo si eius temporis

æstimationem sequeremur, quo res petitur, & non eius quo dari debuit, alterius rei pactio, alterius petitio vel solutio esset. nā triticū, quod nunc vel pluris vel minoris est, quàm cum dari debuit, peteretur aut solueretur. In contrahendo autem quod agitur pro cauto habéendum est l.3, D.de reb.cred. sempérque in stipulationibus id sequimur quod actū est.l.semper, 34, De reg. iur. Neq; obstat l.cùm quis, 22, D.de obl. & act. vbi cùm quis in diem mercem stipulatus fideiussorem accepit, eius temporis æstimatio spe-ctanda est, quo satis acceperit. Nam fideiussor acceptus ibi fuerat, cùm dies obligationis venisset: & debitor appellatus satis eo modo fece-rat. vt in l.si rem, 9, §. omnis, D.de pig.act. Re-stat vltima, Frugum æstimatio, si locus solutio-ni definitus est, ex eius loci foro ineunda est.d. l.vinum, & l.vlt. D.de trit.act.l.3, §. vlt. D.de act. empt.l.idem erit, 60, D. de verb. obl. nam con-traxisse quisque eo loco intelligitur, in quo ut solueret, se obligauit.l.contraxisse, 31, D.de obl. & act.l.3, D.de reb.auct. iud. poss. neq; alibi res iudicatur, quàm quo contestata lis est.l. vbi, 30, D.de iudic.



*An quæ à falso magistratu per magistratus
nomen gesta sunt, rata esse debeant.*

Q V A E S T I O . X V I I .

VE T V S quæstio est, An quæ à falso magistratu per magistratus nomen gesta sunt, rata esse debeant. cuius quæstionis argumētum insigne extat in l. Barbarius, 3, D. de off. præt. Barbarius, inquit Suidas, seruus fugitiuus cùm esset, Romæ se pro libero gessit: ubi cùm in Antonij Triumuirī gratiā atq; amicitiā sese insinuasset, tandem eius fauore atque auctoritate productus, Præturam petiit: Prætórq; renūtiatus est. Re patet facta, duplex quæstio exorta est: quarum tamen vna tantum ab Vlpiano explicatur: quippe, cùm dē altera(ex qua illa posterior exoritur) inter ipsum & Pomponium cōueniret. Prior igitur est huiusmodi, Vtrum quæ Barbarius in fungendo Præturæ munere gesserat, rata esse oporteret: an verò, quasi à non Prætore gesta, pro nihilo habenda essent, Dubitandi cauſsa est, quia serui ab omnibus ciuilibus officiis Romano iure arcentur. l. cùm prætor, 12, cum similib. D. de iudic. neque illorum status arreptis mendacio dignitatibus atque honoribus immutatur. l. non mutant, 11, l. non iccirco, 38, C. de lib. cauſſ. l. assumptio, 6, D. ad munic. vt neque honores mēdacio & fraude, sed legibus

& instituto ciuitatis adipiscuntur. l. Herennius,
10, D. de decur. Denique in minoribus vitiis, v-
bi quis, contra quām legibus licebat, magistra-
tu functus esset, stante Rep. moris fuit, vt lex
ferretur, ne ea res illi fraudi esset. Liu. lib. 30. La-
tum ad populum est, ne Cn. Seruilio fraudi es-
set, quōd patre, qui sella curuli sedisset, viuo,
cūm id ignoraret, Tribunus pl. atque AEdilis pl.
fuisset, contra quām sancitum legibus erat. Sed
quanuis directo iure acta hæc Barbarij valere
non possent, tamen propter utilitatis publicæ
rationem (quæ plerunque iuris acerbitali præ-
fertur) placuit ea rata esse: ne tam multa decre-
ta rescindi, & multorum ciuium possessiones
turbari oporteret. Atque hoc ius utilitatis pu-
blicæ, Ius singulare appellatur, l. ius singulare,
16, D. de legib. & senat. l. iusto errore, 44, D. de
vsurp. Eiusque auctoritate inductū est, vt auun-
culi nuptiæ propter rationem liberorū & diu-
turnitatē temporis per principem confirmē-
tur. l. qui in prouincia, 57, §. 1, D. de rit. nupt. Itē
vt testamentum in quo setuus qui vulgo pro li-
bero habebatur, testis adhibitus fuerat, nihil
minus valeret. l. 1, C. de testam. & vt arbitrium
ab eo, qui pro libero datus à Prætore arbiter
fuerat, pronūtiatum, ratum esset. l. 2, C. de sent.
& interl. iud. non quō communis error ius fa-
ciat in hominibus, item vt in sermone popula-
ri. l. 3, in fi. D. de supp. leg. quemadmodum pleri-
que Doctores opinantur: sed quoniam, vt stan-
te Rep. lex ferebatur, ne ea res fraudi esset, ita

sub Imperatoribus institutum est, ut Principis priuilegio vitium emendaretur. Sed ex hoc constituto singulari iure, altera hæc quæstio nascitur, aliquanto quam illa spinosior: Vtrum Barbarius verè Prætor, & in Prætoria dignitate fuerit, an verò priuatus permanserit: nec ementita dignitate statum mutarit: vt modò dictum est ex l. non mutat, II, C. de lib. causs. **SED NIHIL EI SERVIT VTEM OBSTITISSE AIT POMPONIVS: QVASI PRAETOR NON EVERIT.** Quo loco tollendam negationem quis non videt? quasi Vlpianus scripsisset, Pomponium existimasse, nihil ei seruitutem obstitisse, quominus Prætor esset. **Quod cùm ipsa meridie clarius sit, demiror tam multos in tāta luce caligasse.** Pomponium autem mouerunt, illa videlicet, Primū, quod si acta Barbarij rata esse debent, ius dixit Barbarius: si ius dixit, magistratus fuit. ius enim, nisi qui magistratus est, non facit. l. 2, §. post originem, D. de orig. iur. Ab iis, inquit, qui iuri dicundo præsunt, iuris effectus accipitur. & l. 1, D. quod legat. ubi nemo priuatus dicere ius potest. Præterea suffragia populi legis vim obtinent: vt ait Liuius lib. 7, Aiebat (inquit) in xii tabulis legem esse, vt quod cunque postremum populus iussisset, id ius ratumque esset. Iussum populi & suffragia esse. Itaque cùm P. Cornelius Scipio, cui post Africano cognomen fuit, AEdilitatem peteret, Tribuni autem plebis obsisterent, negantes rationem eius habendam esse, quod nondum ad pendum

tendū legitima ætas esset, Si me, inquit, omnes
Quirites AEdilem facere volunt, satis annorū
habeo. Cuius rei auctor est Liuius lib. x x x v.
Quod cùm ita sit, cui seruo populi suffragiis &
quasi lege magistratus mandatus est, ei quoque
ipso iure & quodāmodo tacitè cōcessa libertas
intelligitur. quia cōcesso aliquo, ea sine quibus
constare illud non potest, cōcessa intelligūtur.
l.2, D.de iurisd. Qua de caussa seruus à domino
sciente tutor liberis testamento datus, & liber-
tatem & tutelam obtinet, l. quero, 32, D.de test.
tutel. In eāq; sentētia Doctores Itali scribunt,
nostros (quos illi Ultramontanos appellant)
fuisse. Contrà tamē Vlpianus acutissimè dispu-
tat, A T Q V I V E R V M E S T P R A E T V R A
E V M F V N C T V M. Quibus ex verbis (si ea
quis diligenter attēdat) intelliget, Vlpianum à
Pomponio dissentientem, fateri, Prætura quidē
functum Barbariū fuisse: Prætorem non fuisse.
Quasi aliud sit Prætorē esse, aliud Prætura fun-
gi, quod Dialectici nunquam approbarent, vt
Prætura sit, ubi Prætor nō est. At in iure ciuili si-
millima ratione aliud est, Proconsulē esse, aliud
Procōsulatu fungi. l.1, D.de tutor. & curat. dot.
aliud Esse in libertate, aliud Esse liberū. l. quod
autē, 10, cū seq. D.de lib. causs. vt alio loco Spar-
tacus in libertate fuisse dicitur, cùm tamē liber
nō esset. l.3, §. si seruus, D.de acq. pos. Item aliud
seruū esse, aliud in seruitute. l. ei quoq; ii, D.ex
quib. cauf. mai. l. cùm heredes, 32, D.de acq. pos.
vt addicti in seruitute esse dicuntur, cùm tamen

liberi permaneant: ut est apud Quintil. lib. 7,
cap. 3. & lib. 9, cap. 5. Sic aliud est Possidere, a-
liud Esse in possessione, l. si quis antè, 10, D. de
acq. poss. Sic aliud est, Tutorem esse, aliud Tu-
tela fungi. l. si quis putans, C. de petit. hered.
Contráque versa ratione disputatur, eum qui
furore correptus est, Prætorem manere, fungi
Prætura non posse. l. nec mandante, 8, §. 1, D. de
tut. & cur. dat. & l. qui furere, 20, D. de iudic. quā
cum hāc nostra l. Barbarius, esse coniungen-
dam, vtriusque inscriptio declarat. Sic apud
Ciceronem aliud esse dicitur Quæstura, aliud
Quæstoria procuratio, in Verrin. 3. C. Malleolo
Quæstore Cn. Dolabellæ occiso, duas sibi here-
ditates venisse arbitratus est, vnam Quæstoriæ
procurationis (nā à Dolabella statim Pro quæ-
store iussus est esse) alterā tutelæ. Et multo pōst,
Illarum rationum ex ea fece legationis, quæstoriæ
que tuæ procurationis illa sunt nomina, quæ
Dolabellæ necessariò sunt æstimata. Neque nos
Dialecticorum argutiæ moueant, propter vim
argumenti ex notatione. Nam & qui Prætura
fungitur, cùm verè ac propriè Prætor non sit, vt
Barbarius: tamen nominis caussa, & (vt illi lo-
quuntur) δυωρύμως Prætor appellatur: & magi-
stratus qui eo fungi non potest, tamen per ho-
monymiam magistratus dici potest: item vt tu-
tor falsus, & falsum testamentum, & modius
iniquus, & Hercules pictus, l. Paulus, 221, D. de
verb. fig. & l. 2, D. de test. qu. aper. Varro lib. de
ling. Lat. v, Quòd si Prætor imprudens illud
verbū omisit, aut quem manumisit, ille nihil o-

minus est liber, sed vitio. vt magistratus vitio
creatus, nihilo secius magistratus. Atque hoc
nimirum illud est, quod his verbis Vlpianus si-
gnificat, ET T A M E N V I D E A M V S , S I S E R-
V V S Q V A N D I V L A T V I T I N D I G N I T A-
T E P R A E T O R I A F V N C T V S S I T . Nam is
locus leui adhibita mutatione corrigendus ita
est, VIDEAMVS, IS S E R V V S , Q V A N D I V
L A T V I T , A N D I G N I T A T E P R A E T O R I A
F V N C T V S S I T . Quanquam tolerari vulgata
lectio potuisset, VIDEAMVS S I S E R V V S
Q V A N D I V L A T V I T , D I G N I T A T E
P R A E T O R I A F V N C T V S S I T . Latuit au-
tem, Græcus homo suo more dixit; pro ^{λαθε}
Bartholus certè & Albericus iis ex verbis ani-
maduerterunt Vlpianū statuere, aliud esse Præ-
tura fungi, aliud Prætoria dignitate: & Barba-
rium quidem Prætura, Vlpiani sententia, fun-
ctum esse: Prætoriam verò dignitatem adeptū
non fuisse. Restat vt ad alterum illud Pomponij
argumentum respondeamus, cùm ita dispu-
tat: suffragiis populi videri tacitè dignitatē Præ-
toriam Barbario permisam: vbi pro C V M E-
T I A M , non dubito quin legendum sit, N V M
E T I A M . Primū quia continuò pòst Vlpianus
id negat, quod isto modo disertè affirmaret. de-
inde quia dictu absurdum est, tantam ^{disponoriam}
& Romanæ antiquitatis ignorantiam vel in
Pomponium, vel in Vlpianum cadere potuif-
se: vt illud omittam, quod Vlpianus dixisset po-
tius, C V M P O T V E R I T : quām, C V M P O-

T V I T . Respondendum igitur ex Vlpiani sententia, hoc pacto, Populus R. non potuit seruo magistratum mandare. nam si seruum ignorabat, nulla ignoratis voluntas est. l. si per errorē, 15, D. de iurisd. Itaque dominus, qui Stichū quē seruum esse ignorabat, tutorem liberis suis reliquit, nihil egisse intelligitur. Stichus enim neq; tutor, neque liber est. l. si quis tutorem, 22, D. de test. tut. l. generaliter, 24, §. si quis, D. de fid. libert. Sin autē populus R. seruum esse Barbarium sciuisse, eum à domino emptum manumisisset.

SED SI SCISSET SERVVM ESSE, LIBERVM EFFECISSET. Sic enim recte in vulgaris legitur: cùm in Florētinis mēdosē scriptum sit, SED ETSI. Ac tātum abest ut huic sententiæ aduersetur d. l. quæro, 32, D. de test. tut. ut eā etiam apertè cōfirmet. Prius enim quām tutela seruo mādetur, ab hercē de manumittitur: neque quicquā seruis cum populi R. comitiis iuris aut cōmunionis fuit. quinetiā si quid vitij in clarissimorū virorū designationibus accidisset, magistratu se abdicare cogebātur: & quod vitiosē gestū fuerat, redintegrato auspicio corrigebatur: ut ex innumeris Liuīj locis intelligitur, & ex illo nobili Ti. Gracchi consulatu, de quo est apud Cic. de Nat. deor. 2, & de Diuin. 2, Liu. lib. 4, Nō tamen pro firmato stetit magistratus eius ius, quia tertio mense quām inierūt, Augurū decreto, perinde ac vitio creati, honore abiere: quod C. Curiatius, qui comitiis eorū præfuerat, parū recte tabernaculū cepisset. Quin & vitiosi ma-

gistratus illi dicebātur. Cicero Philipp. i, Quan-
diu tu voles , vitiosus Consul Dolabella: rursus
cūm voles , saluis auspiciis creatus. Ac mira de
auspicioī vitiis Plutar. in Marcelli vita cōme-
morat. Illud ad extremū notandū est, quod VI-
pianus subiecit, in Imperatore multo magis ob-
seruandū esse: ita meo iudicio intelligēdū, quē-
admodū superius diximus, vt sicuti stante Rep.
legē ferri oportuisset, ne ea res iis quibus Barba-
rius ius dixisset, fraudi esset: ita necessariū Augu-
sti rescriptum & priuilegiū fuisse. arg. d.l. qui in
prouincia, 57. D. de rit. nupt. Sic enim princeps
eum qui seruus fuit. aureorum annulorum con-
cessio iure, ingenuum efficit. l. sed si hae, 10, §.2,
D. de in ius voc. Quōd si populus potestatem
habuit hæc probādi , ratāq; habēdi, multo ma-
gis Imperator: cui & in quem populus suam po-
testatem contulit. l. 1, D. de const. princ. Sic idē
Vlpianus scribit in l. quidam, 57, D. de re iud. si
Prætor aut Consul minor ius dixerit, iccirco va-
lere: quia princeps , qui ei magistratum dedit,
omnia eum gerere decrevit. populi autem po-
testatē in magistratibus mandādis translatā in
Principē fuisse, nemo nescit ex l. 1, D. de ambit.
Sed iam super hac re nimis. Ad hasce autē quæ-
stiones ridicula illa referri disputatio potest, de
Iohanna, quæ, virum mentita, Papatum aliquā-
diu tenuit: an vbi per partum detecta fraus fuit,
eius in Papatu acta rata esse oporteret: & vtrum
Papa an in Papatu tantūm fuisse videretur.

H. iii.



Vsusfructus utrum diuiduus sit, an, ut cæteræ seruitutes omnes, indiuiduus.

Q V A E S T I O X V I I I .



B S V R D A quæstio videtur, cùm tam multis locis ita dilucidè ac disertè diuiduus esse dicatur, vt huic quæstioni locus propè relictus videatur nullus. Primum in l. 5. D. de vsuf. vbi vsusfructus & ab initio, & ex post facto, pro parte vel indiuisa vel diuisa cōstitui posse dicitur. quod idē traditur in l. 1, §. si vsuff. D. ad leg. Falc. vsumf. diuidi, nō sicut cæteras seruitutes indiuiduum esse. Secundò, quòd si vsusfr. duobus legatus sit, ipso iure ad singulos pertinet: id est, singuli non nisi suam partem petit. l. sed vsusfr. 81, D. ad leg. Falc. & l. si fortè, 6, §. si ædes, D. si seru. vind. vbi seruitutum nomine singuli seruitutis domini in solidum agere dicuntur, uno excepto vsufructu: & si promis for defunctus sit, in partes hereditarias vsusfr. obligatio diuiditur: id est, non nisi partes singulæ à singulis petuntur. d. l. 5. De vsuf. Tertiò, quòd sicut pro parte acquire vsusfructus potest, ita pro parte vel amitti, vel remitti potest. l. excepta, 14, & l. placet, 25, D. quibus modis vsusfr. amitt. l. cui vsuff. 30, D. de vsuf. leg. l. & per ius iurandum, 13, §. 1, de acceptil. quinetiam pars eius apud fructuarium manere potest: cùm altera

pars ad proprietatem redierit. l.3, §. pen. D. qui-
 bus modis vslust. amitt. Quartò quòd ob vsum-
 fructum duobus relictum, iudiciis diuisoriis a-
 gitur: inter coheredes, familiæ erciscundæ: inter
 alios, communi diuidūdo. l. & puto, 16, D. fam.
 ercisc. l. communi, 7, §. cùm de vsuf. D. cōmun.
 diuid. Quintò, quòd eæ demum res indiuiduæ
 dicuntur, quarum vſus pro parte nullus est: ve-
 luti viæ, vel itineris. l. viæ, 17, D. de seruit. vel in-
 strumenti rustici. l. quæſitum. 12, §. si quis eodem,
 D. de instr. vel insti. leg. Vſus autem fructuum
 (veluti frugum) ex parte commodè percipitur.
 Quare vſus. non indiuiduus, sed diuiduus est.
 Quantum autē ad ius accrescendi pertinet, ni-
 hil argumenti ex eo ductum valeret: propterea
 quòd passim traditur, Ius accrescendi in rebus
 perspicuè diuiduis locum habere. quinetiam iu-
 ri accrescendi nonnisi inter eos locus est, qui
 ab initio solidum habent. nam si partes factæ
 ab initio fuissent, locus iuri accrescendi non es-
 set. l.3, D. de vsuf. accresc. Cōtrà tamē vehemē-
 tissimè multa pugnant. Primū Regula philo-
 sophorū, (quorū de diuiduo vel indiuiduo dis-
 putationes maximè propriæ sunt) Omne incor-
 poreū indiuiduum est, auctore Arist. lib.3, de a-
 nimo. qua de cauſa animum dicunt esse totum
 in corpore toto, & in qualibet parte totum. fa-
 cit l. arbor, 19, §. 2, D. commun. diuid. vbi lex ait
 nullam communionem iuris separatim intelli-
 gi posse. Et hanc physicorum Regulam sequū-
 tur Doctores quamplurimi: vbi rationem de

seruitutum indiuiditate exquirunt. Cùm igitur omne incorporeum sit indiuiduum, vſuff. autē res incorporea sit, l. i. in fi. de rer. diu. l. 2, D. de vſuf. necessaria conclusio sequitur, vſumf. esse indiuiduum, hoc est, eiusdem naturæ, cuius sunt cæteræ seruitutes omnes, tum reales, tum personales. & quoniam vnum omnium genus est, vnam quoque omnium naturam esse. Secundum argumentum est, quod ex eorundem philosophorum regula traditur, Quicquid est totum, cùm in partes diuiditur, interit: vt arbor diuifa, arbor esse definit: & aratum diuisum, aratru esse definit, d.l. quæritur, De inst. vel. inst. Vſuff. autē est quid totum. l. Mæuius, 66, §. pen. D. de leg. 2. l. vſuff. 7, in pr. l. item si, 9, in pr. D. de vſuf. vbi definitur omne rei emolumētū, omnis rei fructus vſquequaq;, quicquid inde nascitur, quicquid inde percipi potest. Ex quo necessariò conficitur, vſumf. natura sui esse indiuiduum: neque diuidi sine certissimo ac præsentissimo sui interitu posse. Tertium argumentum est, quod diuisionis efficientia hæc est, vt ex vna re plures fiant. Itaque vbi vſuffr. inter duos communis per agri regiones diuiditur, plures vſuff. fiunt. l. communi, 7, §. cùm de vſuf. D. cōmun. diuid. Vnius autem rei plures vſuffr. esse non possunt. l. duos, 14, D. de vſuf. leg. Ex quo necessariò concluditur, vſumfr. esse indiuiduum. Quartum argumentum est, quod cùm vſuff. facto & iure constet: l. vn. in pr. D. quand. di. vſuff. leg. ced. siue Factum in eo, id est perceptio fru-

Etum consideretur, satis constat omnia facta
 esse individua: l. si is qui, 80, §. 1, D. ad leg. Falc.
 siue Ius, iam ante dictum est, duos vnius rei usus.
 esse non posse: non magis quam duas estimationes. l. quod si nolit, 3, §. si quis egerit, 14, D. de
 ædil. edict. l. quia dicitur, 32, D. de euict. l. 2, §. si
 indenatas. D. de admin. rer. ad ciuit. Quintum
 est, quod dominium ex parte intelligi non po-
 test. nam et si dominium communionem reci-
 pit, diuisionem tamen non recipit, l. 3, D. pro
 derelicto. l. 5, §. vlt. D. commod. Ususfructus au-
 tem dominij species est. l. in venditionem, 8, D.
 de reb. auct. iud. possid. Quare et si ususfr. com-
 munionem recipit, non recipit tamen diuisio-
 ne. quo in genere sunt via, & seruitutes omnes
 prædiales. l. 2, D. de verb. oblig. Item libertini-
 tas, l. alieno, 31, §. 1, de fideic. lib. Itē seruitus, l. si
 pariter, 7, de lib. caus. l. 1, §. communis, de stip.
 seru. Sextum est, quod nemo unquam dubita-
 uit usum esse diuidum, propter l. usus, 19, D. de
 us. & hab. vbi Paulus ait, usus partem legari non
 posse. Atqui usus nihil aliud est quam ususfr. exi-
 guus: siue fructus ad modum necessitatis usua-
 rij redactus. l. si alij, 42, D. de usuf. Nam vbi usus
 dicitur esse pars ususfruct. (vt l. qui usumf. 58, de
 verb. oblig. l. & per iusurandum, 13, §. 3, de ac-
 cept.) constat hoc intelligendum de parte homo-
 genea, siue cognata: vt lapidis pars omnis, lapis
 dicitur: & fundi, fundus. l. plane, 34, §. vlt. D. de
 leg. l. Quare sicut usus sua natura individuus est,
 sic etiam ususfr. neque plus & minus cadunt in

substantiam : vt notum est omnibus ex Categ.
Arist.c.de subst.& ex l.vlt. D. de instr. vel insti.
Neque obstat quintum argumentum pro par-
te indiuiduorū : vt à postremo primū ordiar,
& hinc cōfutandi initium nascatur: quia subie-
ctum quo vſusfr. constat , id est fructus diuidui
ſunt, iccirco vſum f. eſſe diuiduum : quæ eſt do-
ctissimorum ætatis nostræ Iurisconsultorum
ratio, in d.l.i, §. si vſuf. D. Ad leg. Falc. quasi ve-
rò vſus nō æquè vt vſuf. in fructibus confiſtat,
& quemadmodum iisdem modis & constitui-
tur, & amittitur, quibus vſuf. non etiam iisdem
in rebus confiſtat. Quinetiam ista ratione veri-
ſimè aliud paradoxon inducetur. quia subiectū
vſus diuiduum eſſe potest, atque adeò plerunq;
diuiduum eſt, iccirco vſum eſſe diuiduum. Cu-
ius rei primum argumentum extat in l. 4, in pr.
& l.pen. §. i, D. de vſ. & hab. vbi legatus propo-
nitur vſus ſpatiosæ domus legatario , ita tenui
& angusto, vt totius domus vſum occupare nō
poſſit. nam modò parte vna domus , modò al-
tera vti poterit. ex quo cōſequitur ſpatiosæ do-
mus vſum non modò pro parte legari vni poſ-
ſe, verumetiam duobus legari poſſe. quòd mul-
tò magis dicendum eſt quām de habitatione.
De qua tamen dubitari non poſteſt, propter l.
illi cum illo, 40, D. de vſuf. leg. Secundum argu-
mentum eſt, quòd cùm vni vſus , alteri fructus
legatus eſt, non modò fructuarius habet quod
vſuario ſuperereſt, verūm etiam in vſu concurrit:
id eſt, partem vſus habet. l. si alij, 42, D. de vſuf. l.

per seruum, 14, §. vſu legato, D. de vſu & hab. &
apud Paulū lib. Sent. 3, tit. 6, §. si alteri vſus. Ter-
tium est, quod non pauci casus reperiuntur, qui-
bus vſus. & vſus idem sunt: hoc eſt, vt neq; plus
illo quam hoc, neque minus hoc quam illo cō-
tineatur: veluti si pecuniae vſus constituatur. l. 5,
§. pen. & l. quoniam, 10, D. de vſuſ. ear. rer. Item
si modicus vſus. alimentorum vice sit relicitus.
l. cum hi, 8, §. si in annos, D. de transact. aut si ta
exile prædium ſit, vt ex fructib. nihil præterquam
quod ad ſubleuandam vnius hominis neceſſi-
tatem ſatis eſt, redigi poſſit. l. fundi, 15, D. de vſ.
& hab. Item si vſus ſyluæ constituatur. l. pen. D.
eod. Quartum eſt, quod vſus rei corporalis plu-
rib. conſtitutus, pro indiuifo in ſolidū cuiusque
eſt. l. 5, §. vlt. D. commod. vbi præclara exempla
proponuntur vſus balnei, porticus, vehiculi, na-
uigij: quib⁹ rebus nihilominus vnuſ vtitur quā-
uis eodem alter vtatur. qua de cauſa vſus earū
rerum vniuſcuiusque eſt in ſolidum: ſed tamen
pro indiuifo, ac proinde pro parte: quod ibidē
text. ait PRO PARTE IN EFFECTU. Quæ
cum ita ſint, perſpicuum eſt, nō modò vſum. ſua
natura eſſe indiuiduum: verumetiam (quod æquè
nouum eſt) vſum effectu plerunque diuiduum
appellari. Quare vidēdum eſt, quemadmodum
hæc quæ pugnantia videntur cōciliari poſſint.
Primū igitur intelligendum eſt, quanuis in-
terdum neque pars iuris, neque ius partis dici
poſſit: vt neque libertas aut manumiſſio par-
tis, neq; pars manumiſſionis dici potheſt: l. cum

duobus, 13, C. de inoff. test. l. pariter, 9, l. duobus, 30, de lib. causs. l. alieno, 31, §. 1, de fideic. libert. tamen interdum dici ius partis, non partem iuris. nam dominium partis dicitur passim siue certae siue incerte: id est, siue pro diuisio, siue pro indiuiso. At pars dominii non dicitur, d. l. 3. D. pro derelict. & l. 5, §. vlt. D. commod. habitatio partis dicitur in l. illi cum illo, 40, de vsuf. leg. pars habitationis non dicitur, non magis quam vsus. l. vsus, 19, de vs. & hab. Instrumentum partis agrorum dicitur: pars instrumenti non dicitur, l. quæsitum, 12, §. si quis eodem, D. de instr. vel inst. leg. Forma & opus effectum partis dicitur: pars formæ aut operis non dicitur. l. tales 12, D. de cond. & dem. l. si is qui, 80, §. 1, ad leg. Falcid. l. fideicomissa, 11, §. pen. de leg. 3. Eodē igitur modo verè propriéque dicitur vsuff. partis fundi aut ædium: pars vsuff. verè propriéque dici non potest: & si quando dicitur, impropriè & per fictionem atque abusu dicitur. Secunda superiorum argumentorū solutio hæc est, quod vsuff. per se ac sua natura indiuiduus est, vt cæteræ seruitutes omnes & iura. d. l. arbor, 19, §. 2, D. com. diuid. per accidens autem & propter vsuum vitæ cōmunis, diuiduus est. denique subtilitate indiuiduus est, vtilitate diuiduus: cuius rei exempla sunt in iure nostro innumerabilia. Primum in speciebus, veluti Sticho, vel Pamphilo. nam etsi Pamphilus natura sua indiuiduus est (qua de caussa indiuiduum ab Aristotele & Peripateticis appellari solet) tamen propter com-

munem vtilitatem & vsum vitæ diuiduitatem
ac partitionem recipere dicitur: partium scilicet
intellectarum, siue pro indiuiso. l. 5, D. de stip.
seru. l. 1, §. cōmunis. D. cod. l. Mævius, 66, §. duo-
rum, de leg. 2, vbi pro N E Q V E sine dubio legē-
dum est N A N Q V E. quod etiam Haloander &
Alciatus iampridem animaduerterunt. Sic Cai-
tio damni infecti ex parte vitiosarum ædium
diuidua est: ex parte damnum metuentis, indi-
uidua. l. plures, 27, D. de damn. inf. Item opus
ex quo damnum infectum timetur, indiuiduū
est: tamen pro parte tātum cauet ur. l. supra iter,
ii, §. 3, de aq. & aq. plu. Res iudicata natura in-
diuidua est. l. in hoc iudicio, 29, D. fam. ercisc.
tamen in plures lata diuidua est. l. si quis sepa-
ratim, 10, §. 2, de appell. Ex contrario quædam
natura diuidua sunt, sed propter communem v-
tilitatem, indiuidua: veluti ager vectigalis, &
præstatio vectigalis. l. communi, 7, D. cōmun.
diuid. Item iugum mularum uno pretio vendi-
tum, si de redhibitione agatur. l. ædiles, 38, §. si
fortè, 8, D. de ædil. edict. Item mortis caussa ca-
pio. l. qui duobus, 23, D. de cond. & demonst. Itē
plures res datæ pignori. l. qui pignori, 29, D. de
pign. Item pretium emptionis, cùm plures em-
ptoris heredes sunt. l. fistulas, 78, §. qui fundum,
D. de contr. empt. Similiter vſus natura inter-
dū violatur, vt ex vſu vſuſſ. fiat: quia hoc (inquit
Paulus) propter necessitatē fit. l. item quāuis, 10,
§. 1, D. comm. diuid. Sic vestibulum commune
binarum ædium, quanuis natura diuiduum sit,

ut quilibet fundus, tamen interdum propter necessitatem est indiuiduum. d.l. arbor, 19, §.1, D.cod. Quid verbis opus est? constat inter omnes, nihil magis indiuiduum toto iure nostro censeri, quam seruitutes prædiaies, & tamen videmus eas per accidens, hoc est propter utilitatem, fieri diuidas. & modò mensura, modò temporibus diuidi. l. arbor, 19, in fi.D.comm. diuid.l.via, 5, §.1, D.de seruit. Nam si certa itineri vel viæ regio definita sit, sola illa serua est: cæteræ omnes liberæ. l.certo, 13, §.1, D.de seruit. rustic.l. sicut, 9, D. de seruit. atque ita quæ natura indiuidua erat seruitus, eadem per accidens fit diuidua. Iure igitur indiuidua est: vsu, qui facti est, diuidua. Et hoc est quod dicitur, Modum imponi seruitutibus posse. l.4, §.1, D. de seruit. nimirum propter contrahentium utilitatem: ut modò dictum est. Itaque Accurtius in l.si cum duorum, 32, D.de stipul.ser. Vsusfructus, inquit, diuidi non potest. quanvis fructuum percipiendorum diuidatur utilitas utili iudicio communi diuidendo, secundū R. Et paulo post, Est enim vsusfructus, ius utedi. & ita quoddam simplex indiuisibile: licet utilitas percipiendi diuidatur. Hæc ille. Ex quibus ita disputatis concludi potest, nihil esse absurdum, si vsus. qui sua natura indiuiduus est, per accidens, & propter facilem fructuum diuisionem fictione dicatur diuiduus: cùm etiam in vsu & seruitutibus prædialibus, de quarum indiuiduitate dubitari non potest, idem interdum accidere soleat.



Hereditas utrum diuidua, an indiuidua sit.

Q V A E S T I O X I X .

D I VIDVA videtur hereditas, multis de causis. Primum quia passum in libris nostris traditur, hereditatem diuidi in xii vncias, quæ assis appellatione continentur. l.interdum, 13, §. 1, & l.seruum, 50, §. vlt. D.de her.inst. §. & vnum, 5, Inst. ill. tit. Secundum argumentum est, quod lege xii tab. inter coheredes volentes à communione discedere, iudicium diuisorum constitutum est, quod Familiae erciscudæ appellatur. l. 1, & pass. D.famil.er-cisc. Tertium, quod eadem lege constitutum est, ut nomina defuncti, siue suum, siue alienum æs esset, inter heredes pro cuiusq; parte diuisa sint. l.vlt. C.de a&t. her. l. 6, C.fam. ercisc. l. heredes, 25, §. idem iuris, D. eod. Quartum quod Vlpianus scribit in l. quoties, 9, §. heredes, D. de her. inst. heredes iuris successores esse: & si plures instituantur, diuidi à testatore inter eos ius opertore. quod si non fiat, omnes æqualiter heredes esse. ubi apertissimè scribitur, ius à testatore diuidi. Quintum est, quod in iure nostro ea dicuntur diuidua, quorū usus diuisus est. l. viæ, 17, De seruit. id est, quorum partis usus per se constat. Individua vero dicuntur, quorum partis usus nullus est. ut fons, vel puteus diuiduus est. l. 4, D.

comm. diuid. Aratrum indiuiduū est, quia partis eius usus est nullus. l. quæsitū, 12, §. si quis eodem, D. de inst. vel instrum. leg. Cùm igitur singulæ partes hereditatis utiles sint, consequitur, hereditatem esse diuiduam. Ex contraria verò parte pugnant, primū argumenta superiore proxima quæstione proposita. Nam quantum ad primū, hereditas est ius & res incorporalis. l. I. De rer. diu. l. pecuniæ, 178. l. hereditatis appellatio, 119, D. de verb. sign. & absque ullo corpore iuris intellectum habet. l. hereditas, 50, D. de pet. her. Quantū ad secundum, hereditas definitur vniuersitas, siue successio in ius vniuersum alterius. l. bonorum, 208, l. nihil est, 24, D. de verb. sig. l. hereditas, 62, D. de reg. iur. l. cùm heres, 11, D. de diu. & temp. præscr. Itaque cùm heres sit successor vniuersalis, sequitur vt hereditas diuidi non possit. l. quædam, 9, §. 1, De eisdem. Quantum ad tertium attinet, per diuisiōnem fieri plures hereditates non possunt. nam vnius hominis duæ non intelliguntur hereditates. l. iurisperitos, 30, §. 1, D. de excusat. l. quod contra, 141, §. 1, De reg. iur. veluti testamentaria, in instituto: & legitima, in suo vel agnato. nam iure ciuili nemo ex parte testatus, ex parte intestatus decedit. l. 7, De reg. iur. Et hoc pertinet formula antiqui iuris, vt in testamentis per æs & libram vnicus familiæ emptor adhiberetur. §. 1, De test. ord. & apud Vlp. in Fragm. & Caiū in Inst. Quantum ad quartum, satis constat hereditatem esse speciem dominij. Itaque dominium

nium appellatur in l.2,§.vlt.D. de bon.poss.sec.tabul. heres enim nihil aliud est, quām dominus,§. vlt.de hered.qual. & diff. l. 1, in princ.D. de success.edict. Ut igitur dominium communionem recipit, diuisionem non recipit, l.3,D. pro derel. ita hereditas.nam qui totam hereditatē acquirere potest, is pro parte eā scindendo adire nō potest.l.1,D.de acq.hered.& institutus in re certa,vel ex certa assis parte, in vniuersum assem institutus intelligitur.l. 1,§.si ex fundo, & l.ex facto,35,D. de her. inst. l. interdum,13,§.1, D.eod.§.& vnum,5,Inst.eod.& qui partem hereditatis adit,totam hereditatem adire intelligitur.l.quidam,20.C. de iur.delib. Quintū inducitur ex eo quòd heres dicitur is qui in defuncti locum succedit.l. si is qui,34,D.de iud.Succedere autē est factū,ac proinde indiuiduum. l. is qui,80, §. vlt. D. ad leg. Falc. Sextum argumentum suppeditat l.1, §.2,D.si pars her.pet.& l.Pomponius,8, De rei vind. vbi Vlp.ait, hereditatis possessionem indiuisam esse. neque enim hereditatē pro diuiso à pluribus possideri posse: adeò vt coheres quanuis suam tantū partem possideat,cùm extraneus alterā teneat, tamē coheredi suo subtili ratione petitione hereditatis teneatur. Quinetiam adeo indiuiduā hereditatem esse, vt si tres sint , quorum singuli trientem possideant , is ad quem semis pertinet , singulos cogat sextantem reddere : vt ipse quoque postea sextantē de suo triēte restituat. §.item si, eadem l. Primum igitur intelligēdum

est, hereditatē dupliciter usurpari, propriè pro iure, quod incorporale est: impropriè verò & abusiuè pro rebus hereditariis. Nā propriè ius ipsum successionis demonstrat, non res singulares. l. bonorum, 208, De verb. sig. l. 3, D. de bonor: poss. Impropriè verò Cicero in Top. hereditatem definit, pecuniam quæ morte alicuius ad alterum peruenit. Nam aliud est hereditas, aliud res quæ per eam acquiruntur. §. 2, Inst. de reb. corp. & incorp. Neque satis consideratè Seneca scribit de benef. 6, Iurisconsultorum argumentas esse ineptias, qui hereditatem negant usurcapi posse, sed ea quæ in hereditate sunt. Nam cùm hereditas sit incorporalis, cadere in illam usurcacio nō potest. l. seruitutes, 14, D. de seruit. Itaq; vèditor hereditatis euictionē nō præstat. l. 2, D. de hered. vend. quia vendit, nō quod certè est, sed quod fortasse est: vt si forte nihil sit, nihil vendat: si denique plus damni sit quam lucri, id vendat. l. hereditatis, 119, De verb. sig. Et eadem de causa possessoria hereditatis petitio etiam in eum qui rem nullam possidet, sed ius tantum quasi possidet, conceditur. veluti in debitorem hereditarum. l. regulariter, 9, D. de hered. pet. Secundò intelligendum est, Totum universitatis hereditariæ dupliciter considerari. Primùm, vt totum integrale: deinde vt vniuersale, id est, ὁλον καὶ τὸ λόγον: vt præclarè docet Aristot. Metaphys. 4. à capite, ὁλον λέγεται &c. Nā locum ascribere nimis longum videretur. Illud corporale est, quod tribus corporū generibus

cōstat, quorum insignis est descriptio in vulg.
l. rerum mixtura, 30, D. de usurp. Hoc incorpo-
reum est, & iure constat: atque vniuersitas iuris
sine corporis intellectu appellatur. l. hereditas,
50, De her. inst. Cūm autem neque corporalip
res, incorporalis pars dici possit, neq; vicissim
hēc illius, præclara & ad usum vitæ & ad oble-
ctationem animi doctrina colligitur, vt nulla
res hereditaria pars sit hereditatis. l. quanuis,
14, D. siq. omiss. causs. test. adeo vt nec legatum
pars hereditatis sit. l. qui fundū, 87, §. 3, Ad leg.
Falc. non magis quam res peculiaris, pars est pe-
culij, l. 4, §. si ære, D. de pecul. & res dotalis, pars
dotis. l. 1, in fi. princ. D. de dot. releg. l. quod di-
citur, 5, D. de impens. in res dotal. Eiusque rei e-
videns argumentū est in seruitutibus, quæ cūm
natura sua indiuiduæ sint, quantumuis multi hē
redes scribantur, quantumuis multæ heredita-
tis partes fiant, tamen non diuiduntur, sed in so-
lidum tum omnibus, tum ab omnibus deben-
tur, vulg. l. 2, cum simil. D. de verb. oblig. Quæ
cūm ita se habeant, secundum utrunque hanc
distinctionem concludendum est: cūm heredi-
tas propriè veréque usurpatur, hoc est pro toto
vniuersali, siue pro iure vniuersitatis, eam esse
indiuiduam. Cūm autem impropriè pro rebus
hereditariis usurpatur, & pro toto integrali, tū
appellari diuiduam. Vnde solutio contrariorū
argumentorum omnium per facilem intelligitur.
Nam quantum ad primum, constat partes assis
non dici nisi rerum hereditiarum. Quantum


ad secundum, nemo nescit Familiæ verbum in
lege xii tab. pro bonis & rebus hereditariis v-
surpari,l. pronuntiatio, 195,§. 1, De verb. sig.ac
propterea familiæ erciscundæ iudicium dici,
quia iudex familiæ erciscundæ non heredita-
tem diuidit, sed res hereditarias. Tertium au-
tem argumentum eiusmodi est, vt retorqueri in
contrariam partem possit. nam ex eo ipso quod
lex xii tab. hanc hereditiarum rerum par-
tem diuisam esse voluit, colligitur & eam sua
sponte ac natura indiuiduam fuisse, & reliquas
de quibus lex nihil cauit, indiuiduas esse. arg.
vulg.l.prætor, 10, D.de iud. Eiusque rei exemplū
est in l.ad eò, 7, §. in suo, D.de acq. rer. dom. vbi
tigni iniuncti dominium, quod translatum nō
fuerat, vindicari iure ordinario poterat. sed pro-
pter legem xii tab. & ius extraordinarium v-
tilitatis publicæ caussa ab illa inductum, vin-
dicari prohibetur. l. 1, D. de tig. iniunct. l. 6, D.
ad exhib. l. in rem actio, 23, §. tignum, De rei
vind. Sic cùm hereditaria nomina indiuidua
natura essent, vtilitatis publicæ caussa, lege xii
tab. sanctum est, vt ipso iure ac sine familiæ
erciscundæ iudicio pro partibus hereditariis di-
viderentur. Quantum ad quartam obiectio-
nem, satis constat omnes coheredes vsq; ad fa-
miliæ erciscundæ iudicium in cōmunione ma-
nere. l. non possumus, 7, D. si pars her. pet. & l. 1,
D. fam. erc. Repugnat autem, partes heredita-
tatis diuisas à testatore fuisse, & post eius mor-
tem communionē manere. Nam quę iuris com-

munio separatim inter plures intelligi potest? ait Paulus in l.arbor, 19. y. 2, D. comm. diu. Necesse est igitur, cùm dicimus hereditatem & ius à testatore inter coheredes diuidi, significari partes pro indiuiso. quod apertè ostēdit textus d. l. nō possumus, ybi effectus petitionis hereditatis esse dicitur, vt hereditatis partes pro indiuiso possideantur. Postremum autem argumētum à parte ad totum integrale, & res hereditariae pertinet: cuius solutionem superius exposuimus. Ex quibus perspicuum est, hereditatem ex eorum esse numero, quæ communionem recipiunt, diuisionem non recipiunt.



An debitor solutionis partem offerens, in iuto creditore pro ea liberetur.

Q V A E S T I O X X .



E hac quæstione pugnantia videtur statui à Juliano & Modestino, in l. quidam, 21, D. si cert. pet. & l. tutor, 41, §. 1, D. de usur. Sed adhibenda trium temporū distinctio videtur. Primum mouendæ controversiæ, quod est ante litis contestationē: hoc est, prius quam in ius ad Prætorem adeatur. l. diuus, §. & l. sed & si lege, 25, §. si ante litem, D. de petit. her. l. 1, C. l. iii.

de lit. contest. Alterum in litis contestatione, quæ apud Prætorem in iure siebat, vt d. §. si ante, & multis per uulgatis. Postremum tempus est, cùm apud iudicem à Prætore datum cauſſa disceptatur. I. si reus, 73, D. de procurat. I. ædiles, 25, §. item sciēdum, D. de ædil. edict. Ergo si ante litem contestatam cùm debitorem creditor appellat, partem debtor offerat, creditor autē recusat, quanvis eam debtor obſignet, eius tamen partis vſuras non ſiftit. Atque ita Modeſtini locum accipiendum arbitror, in d. I. tutor, De vſur. vnius enim obligationis vñā eandémque indiuifam ſolutionē eſſe oportet: quò pertinet I. Julianus, 13, §. offerri, D. de aſt. emp. Bonā autem vtriusq; gratia ſolutionē partis & fortiſ debitam imminui, & eius vſuras ſifti, conſtat ex I. stipulatus ſum, 9, §. 1, De ſolut. Qui decem debet, inquit, partem ſoluendo, in parte obligationis liberatur: & reliqua quinque ſola in obligatione remanent. Vbi autem ad Prætorē ventum eſt, tum ſi iusta cauſſa Prætori videbitur, pro iure imperij & magistratus poterit iubere creditorē oblatā partem accipere, & pro ea parte litem imminuere, veluti ſi debtor partem ſe debere fateatur, partem inficietur. quò pertinet d. I. quidam, D. ſi cert. pet. cui iungenda eſt I. permittēdum, 8, D. ſi pars her. pet. Nam et ſi quod Julianus ait, officium Prætoris eſſe, lites diminuere, pinguis intelligi ſic potest, quaſi pars de forte & fortiſ vſura detrac̄ta ſit: & creditor de reliquo tātūm litigare cogatur: tamen

vetus verbum esse animaduerto. Lites diminuerre, pro disceptare, & dirimere. vt in l. 2, D. de acq. & aq. plu. & apud Cæsarē lib. 5, Habere sese quæ de re communi dicere vellent, quibus controversias minui posse sperarent. Et lib. 6, In pace nullus communis est magistratus: sed principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt, controversiasque minuunt. Item apud Cic. Acad. 2, Sed vt minuam controversiam, videte quæso &c. Quod si creditor recusat, nihilominus eum compellet: quia iudicium non nisi in reliquam partem dictabit. Eiusque imperij exemplum est in l. si cuius, 13, §. sed si, D. de vsuf. l. 3, §. 3, D. de susp. tut. l. 3, §. 3, D. de carbon. edict. l. item quanuis, 10, §. 1, D. comm. diuid. Cum autem ad iudicem res deuenit, quia iudex priuatus ac sine imperio est, neque quicquam, nisi quod sui iudicij est, iudicare potest, & in stricti juris iudiciis ad summam à Prætore præscriptā astrictus est: tum verò nō dubium est, quin nulla ipsius in creditoris iure deminuendo potestas sit. l. vt fundus, 18, D. comm. diu. d. l. ædiles, De ædil. edict. & l. pen. D. de confess. Et huc pertinet l. lecta, 40, D. si cert. pet. cuius hæc sententia est, Pactum de sorte per partes soluenda statim post fortis & usuraru m stipulationem adiectum, in stipulationem diffusum est: & usurarū obligationem pro rata pēsionum diuidit. Causæ autem constitutio hæc est, P. Mēnius credidit Titio centū aureos. stipulatus est eos sibi Kal. proximis reddi, & nisi reddantur, usuram cente-

simam, id est, vnum menstruum aureum in centenos. Post conuenit inter illos, ut sortem particulatim soluere liceret. Prime Kal. sine solutione abierunt. Mæius integræ sortis usuram petit. Titius solius primæ pensionis non solutæ usuram offert. quasi pactum stipulationi continenter adiectum per omnes eius partes diffundatur, eamq; vniuersam immutet, atque actionem informet. Paulus respondit, pactū de sorte per partes soluenda, ad vtranque stipulationis partem, hoc est, sortis & usurarum pertinere. Et quanuis usuræ pecuniæ creditæ deberi ex pacto etiam stipulationi continenter adiecto nō possint, l. Titius, 24, D. de præsc. verb. l. si tibi, 17, D. de pact. l. 3, C. de usur. tamen hoc casu usuras non ex pacto, sed ex stipulatione per pactū renouata & reformata deberi. deinde quia usuræ pecuniæ creditæ non ipso iure, sed ex mora tantum debentur, l. 1, & l. 3, C. de usur. Ex quo intelligitur, pacta continenter adiecta stipulationibus, vim ex iis, quasi in ipsas insita, ad pariendam actionem assumere. l. petens, 27, C. de pact. ac proinde pacta incōtinenti apposita æquè inesse stipulationibus, vt bonæ fidei cōtractibus. l. 7, §. 1, De pact. l. in bonæ, 13, C. eod. Patet igitur, casum illum esse vnu, quo creditore inuito pars obligationis soluitur: cùm scilicet obligatio pactionediuisa est. Alter adiugi casus potest, cùm obligatio lege diuisa est: velut inter coheredes. l. cetera, D. fam. erc. l. 1, C. si cert. pet. l. 2, §. 1, De verb. obl. item cùm species debetur,

vt Stichus. nam parte Stichi soluta, reliqua pars in obligatione manet: quod non idem est de genere: vt cum homo promissus est. non enim pars Stichi solui potest, vt postea pars Pamphili praestetur. l. stipulatus, 9, s. 1, D. de solut.



An de crimine pacisci, aut transfigere licet.

Q V A E S T I O X X I .

P ERPLEXA disputatio est, & que tractari dilucidè, nisi subtili distinctione adhibita, non potest. Nam octo species sunt, quarum de singulis, singulæ sc̄rē sententiæ proponendæ sunt. Primum enim aut de criminis capitali pactio fit, aut de non capitali. l. transfigere, 18, C. de transact. secundò vel in actoris, vel in rei persona pactio consideranda est. tertio vel ante iudicium, vel post iudicium constitutum pactio fit. l. 1, s. 2, D. de calum. Postremò vel pactum fit, vel transactio: id est, conuictio fit vel de re certa, & gratis: vel de re ambigua, & aliquo dato aut remisso. l. 1, D. de trans. l. transactio, 38, C. eod. Prima igitur enuntiatio hæc esto, Actor de crimine capitali ante constitutum iudicium impunè paciscitur, at non impunè trāsigit. Actorē autem abusuè appello, non reipsa

sed vi ac potestate, pro eo qui crimen comperit, & actor esse potest, ut ei qui crimen commisit opponatur. Eius autem sententia testimoniū est in l.z, D. de concuss. vbi qui ob nō accusandum pecuniam accepit, concussionis tenetur. & l. qui accusare, 8, D. de accus. vbi qui ob non accusandum pecuniam accepit, quasi turpem quæstum fecerit, ab accusatione removetur. Atque hæc quidem de transactione. De pacto vero, generalis regula est, neminem prohiberi gratis suam iniuriam remittere. l. mariti, 29, §. plecitur, D. de adult. l. qui cœtu. 5, §. 2, D. de vi publ. Seq. II. Reus de crimine capitali ante cōstitutū iudicium siue paciscatur, siue trāsigat, nihil agit. quoniam cuius alteri aduersario expositus est, cuiusuis alterius persecutioni patet atque obiectus est: cùm publica iudicia dici constet, quòd cuius de populo pateant. l. 1, D. de pub. iud. & publica coercitio priuatum pactione non tollatur. l. 5, D. de pac. dot. Et hoc est quod traditur in l. iurisgentium, 7, §. si paciscar, l. si vñus, 27, §. pacta D. de pact. de iis rebus quæ publicam læsionem attingunt, pacisci non licere. Item de incensis ædibus & de vi, quatenus publicam læsionem attingunt, pacisci non licere. Non enim pacisci iure vlo dīfertè ac nominatim prohibitum est: sed ea de refacta pactione nullius momenti est: quoniam de iis demum rebus negotium rectè gerimus, quæ in nostro commercio sunt. l. inter stipulantem, 83, §. sacram, D. de verb. obl. Seq. III. In crimine

capitali actor post constitutum iudicium, neq; pacisci, neq; trasigere potest. Primum quia qui accusant, cauent se perseveraturos in criminе usque ad sententiam. l. sicui, 7, D. de accus. deinde qui pactione accusationem deferit, in Turpilianum S.C. incidit. l. 6. & l. cui senatus consultum, 15, D. ad Sen. Turp. l. 2, & l. pen. C. eod. l. servi, 23, C. de adult. cui^o poena est infamia, multa pecuniaria, & extraordinaria coercitio. l. 2, C. eod. l. 3, D. de præuar. l. 1, & l. 2, C. vt int. cert. tēp. Seq. 1111, In criminе capitali reus post constitutum iudicium paciscens, aut transigens, nihil agit: id est, sibi neque prodest, neque obest. l. 1, D. de bon. eor. qui ant. sent. vbi ei ignosci dicitur, qui sanguinem suum quoquomodo redimere conatur. Itēmq; in l. vlt. D. de præuar. Qui verò ex reis propter accusatoris defectum eximitur, repeti ab altero potest. l. 3, §. vlt. & l. si tamē, II, §. vlt. D. de accus. Frustra ergo Reus paciscitur, quia pactions de re ad publicam læsionem pertinentes nullius momenti sunt. De iis enim rebus pacisci tantum possumus, quæ (vt Vlpianus ait) ad rem familiarē pertinent. d. l. 7, §. si paciscar. D. de pact. Qui tamē iudicem corrumpere conatus est, relegationis poena multatur. l. 1, & l. qui duobus, 21, D. de fals. l. 1, C. de poen. iud. qui mal. In cauissis autē fiscalibus qui delatorem corrumpit, pro conuictō habetur. l. vlt. D. de præuaric. quæ (vt inscriptio declarat) ad census pertinet. l. eius qui, 29, d. l. imperatores, 34, de iur. fisc. Magnopere autem obseruan-

dum esse fateor, & considerandum, quod Antoninus constituisse dicitur, ut cum reus aduersario pecuniam in causis aut publicis aut priuatis dedit, lis pereat, & actio amittatur. l. i, C. de pœn. iud. l. i, §. 2. D. de calumn. Nam si actionē amittere, pro caussam amittere, & caussa caderet, dictum est: nouum & omnino inauditum ius ab Antonino introductum fateri oportet. Ac planè dubitandi caussam mihi iam sublatā animaduerto ex l. 2, D. de cond. ob turp. causs. vbi Vlp. scribit, non ita pridem hoc ab illo suo Imperatore constitutū fuisse, ut qui pecuniam dedisset, litē perderet. quod summopere notandum est. Seq. v. In criminibus non capitalibus, actori tum ante, tum post constitutum iudiciū, & pacisci, & transigere impunē licet. d. l. iurisgētium, 7, §. si paciscar, l. si vnu§, 27, §. pacta, D. de pact. Itēmq; in l. i, §. 2, D. de calum. vbi Vlp. ait, non esse transactionibus interdictum, sed sordidis concussionibus. Hic illud notandum est, solum adulterij crimen excipi: de quo transigere non licet. l. de crimine, 10, C. de adult. quæ perspicuē de actore loquitur. nam olim capitale illud non fuisse, sed solam relegationis pœnam habuisse, multi eruditii iam pridem docuerunt: partim ex arg. l. si quis viduā, D. de quæst. partim ex eo quod lex Iulia damnatas adulterij uxores duci, & testimonium dicere vetat. l. mariti, 29, De adult. l. Cladius, 13, D. de his quæ vt ind. l. ex eo, 18; D. de testib. Primi Constats & Constantius capitis supplicium irrogarunt. l.

quauis, 30, C. de adulter. iuncta. l. 4, C. T H.
quor. app. non rec. De adulterio ergo pacisci
quidē, id est gratis remitti licuit: transfigere non
licuit. l. mariti, 29, §. plectitur, l. si maritus, 15, §.
si negauerint, D. de adulter. d. l. de criminē, 10,
C. cod. l. iste quidem, 8, D. quod met. causs. l. au-
xilium, 37, in fi. D. de minor. Solum autem adul-
terium excipi, argumento ex contrariis conclu-
di licet: hoc modo, De adulterio, quod nō ca-
pitale est, transfigere non licet. Ergo de aliis nō
capitalibus licet. l. cūm prætor, 12, D. de iud. d. l.
ex eo, 18, D. de testib. Eius autē exceptionis cau-
sa perspicua est, quoniam actor de comperto a-
dulterio transfigens lenocinium admittere vi-
detur. l. 2, §. 2, l. miles, 11, §. sacer, & l. is cuius, 14.
D. de adult. tametsi quod accepit, condici ab il-
lo non possit: propterea quod dantis & acci-
pientis turpitudō versatur. l. 4, D. de cond. ob
turp. causs. Quæ cūm ita se habeant, veterem
meam coniecturam retinco, vt in d. l. trāsigere,
18, C. de trās. particula N O N alieno loco posita
in priorem locum restituatur: & textus legis ad
veteris iuris rationem aptissimè & conuenienti-
simè sic legatur, Transfigere vel pacisci de crimi-
ne non capitali, excepto adulterio, prohibitum
non est. vt Rescriptum illud non ad reum, sed
ad actorem pertineat. in quo momentum o-
mne positum est. Quod enim sequitur, si affir-
matiūè legatur, & ad actorem referatur, aptissi-
mè cū tertio nostro superiore pronūtiato qua-
drabit. In aliis autem publicis criminibus, quæ

sanguinis pœnam ingerunt, transigere nō licet accusatori: propter eas cœssas quas superius exposuimus. Quod autē supereft, C I T R A F A L S I A C C U S A T I O N E M, sic interpretor, quasi dictum effet, Sine falsi crimine: vel Nisi falsi accusationem subire velit. nam C I T R A pro s i -
n e, v s i t a t u m eſſe, n ē m o n eſc i t . v t l. i , C. si alien.
res pign. l. i , §. 1, De pign. l. 3, D. de vſur. Falsi e-
nīm tenetur is qui, vt verum nō appareat, quid celauerit. l. i nſi r u m e n t o, 15, D. de f a l s. Item qui
ob non dicendum testimonium pecuniam ac-
ceperit. l. i , D. cod. Quantum autem ad crimen
falsi, primū illud scire oportet, illud inter ca-
pitalia numerari: quoniam eius pœna deporta-
tio eſt. l. i , §. vlt. D. ad leg. Corn. de f a l s. Quapro-
pter ad Regulas de capitalibus superius positas
illud redigēdum arbitror. neque enim huc per-
tinet. l. 2, C. de his qu. v t i n d. Nam ibi transactio
facta fuerat à Polla defuncta, de testamēto nō-
dum ſu ſpecto: post cuius mortem tutor pupilli
nomine f a l s u m illud dicere volebat. Nihilo ma-
gis aduersatur l. ipſe, 7, C. de f a t i s d. quę de trans-
actione quidem loquitur, ſed non de i nſtituta
falsi accusatione: verū de negotio p r i n c i p a l i ,
& lite pecuniaria, propter quam f a l s u m quod-
dam i nſtrumentum adhibitum fuerat. Magis
vrget l. pen. in fi. C. de trans. Nisi forte, inquit,
de eo quod f a l s u m dicitur, controuersia orta
decifa ſopiatur. Sed facilis & expedita tum ad
hanc, tum ad ſuperiorem obiectionem ſolutio
eſt: f a l s i a g i poſſe, & criminaliter, & ciuiliter. l.

de fide, 16, l. pen. & l. vlt. C. de fals. Si criminaliter actum est, superiores regulas sequendas esse: si in ciuiliter, eodem modo transfectionem valere, ut in cæteris omnibus caussis pecuniariis. Supereft vj, In crimen non capitali Reus siue ante, siue post constitutum iudicium transfigat, infamia afficitur: pacisci autem & sine infamia potest. l. 1, l. 4, §. vlt. & l. 6, §. pact⁹, de his qui not. inf. l. non damnatos, 18, C. eod. vbi qui furti, rapinæ, iniuriarum, de dolo & fraude pecunia pactus est, infamia notari dicitur: quippe cum intelligatur fateri crimen qui transfigit. l. 5, D. eod. At qui gratis pactus est, infamia non notatur. d. §. pactus. & l. non damnatos. Neque obstat d.l. iurisg. 7, §. si paciscar, & d.l. si vnus, 29, §. pacta, D. de pactis. & l. post decisionem, 13, C. de fur. l. interdum, 59, §. vlt. D. eod. vbi dicitur de furto & iniuriis pacisci licere. hoc enim ad poenam vitandam pertinet, quæ olim corporalis fuit: post verò pecuniaria Prætoris edicto facta est, ut in xii tabul. docuimus. Itaque intelligenda est Pauli sententia, siue illius sit, siue non sit, quam nonnulli protulerunt. De criminibus propter infamiam nemo cum aduersario pacisci potest: id est, de criminibus reo pacisci non licet, nisi infamiam subire quam poenam malit. Hic quæstio exoritur de crimen adulterij, An reo transfigere liceat: de qua quæstione omnes, quos videre licuit, putant tractari in d. l. transfigere, 18, C. de transf. Sed iam antè demonstratum est, tam ad accusatorem pertinere. Quantū autem

ad reum attinet, quomodo dubitari potest, nihil omagis licere de adulterio, quam de minoribus delictis sine infamia transfigere? Quare siue mulier, siue vir adulterij accusatus est, per absurdum videtur, existimare in d.l. transfigere, crimē adulterij exceptum, ne accusato de illo transfigere licet. Neque aduersatur d.l. de criminē, 10. C. de adult. quæ ad accusatorem apertissime pertinet. Quanuis enim legendum quidam putent, Par delictum esse accusatoris, præuaricatoris, & rei fugientis veritatis inquisitionem: tamen neque vulgata lectio quicquam habet incommodi: vt accusator qui per transactionem ab inquisitione veritatis desistit, & quæ infamis sit, & quæ extraordinaria poena tencatur, vt is qui præuaricatur. denique vt eadem poena sit tergiuersatoris, quæ præuaricatoris. l. 2; C. ad turp. l. 2, D. de præuar. Deinde vt concedamus de reo fugiente locum accipiendum esse, tamē cōdem reuoluemur. Par enim, quantum ad existimationem, & rei fugientis, & accusatoris tergiuersantis poena est. Illud cōstat, quod is qui in adulterio deprehensus est, redimenti sui caussa dederit, non repeti: quoniam utriusque turpitudo versata est: vt modò diximus ex l. 4, D. de cond. ob turp. causs. Quæ cum ita se habeat, facile existimari potest, quantum Græcis interpretibus sit tribuendum, atque in his Constantino, qui legem transfigere, C. de transact. ita conuerterat, Eis μὴ δι' αἴματος ὅπιφέροντα τὸν θυμωεῖαν καλῶς διαλυόμενα, οὐτε ξηρημένου τὸν πῆματα

χεῖσαι

χιας ἐγκλήματος. οὐσα δὲ μη ἔχει σύμβατος τῷ θυμωτάρῳ
δὴ τέτοιος οὐκ ἔργωται η δέσμωτος, χωρὶς τὸ τῆς πλασοφρε-
φίας ἐγκλήματος.



An ius utendi fruendi re aliena, salua eius sub-
stantia, de nullo alio quam de usufru-
ctu dici possit.

Q V A E S T I O X X I I

DUBITANDI caussam affert pri-
mum Emphyteusis, quę nō modò
ius vtendi fruēdi transfert, verum-
etiam ius perpetuarium, aut certe
longissimum. l. 1, D. si ag. vect. l. 1,
C. de off. com. fac. pal. l. viam veritatis, 10, C. lo-
cati. Idque in re aliena: quia proprietas non trāf-
fertur. d. l. 1, D. si ag. vect. Postremo interitus to-
tius rei ad proprietarium pertinet. l. 2, C. de iur.
emphyt. Secundam dubitandi caussam mouet
fideicommissum. Nam heres fiduciarius roga-
tus hereditate in restituere, cūm morietur, idem
ius quod fructuarius habere videtur. l. species,
15, D. de aur. & arg. leg. vbi disertè vsus fr. appel-
latur. Res autem fideicommissaria nominatim à
Iustiniano res aliena dicitur in l. vlt. §: sed quia,
C. com. de leg. Tertiam, dos vxoris, in qua ma-
ritus idem ius salua rei substantia obtinere vi-

detur. Eius enim periculum si æstimata non est, ad mulierem pertinet. I. plerunque, 10, cum simili. D. de iur. dot. Quartam, Cōductio, quæ ius colono tribuit vtēdi fr. re aliena, salua eius substantia. I. i, D. de loc. public. fruend. I. si quis, 9, §. 1, ibi Num magis, I. si fundus, 33, I. si merces, 81, I. si in lege, 24, §. clauis, D. locat. qua de caussa si colono vsuff. legetur; actio ex locato ei tantum remittenda est. I. cui vsuff. 30, §. 1, D. de vsuf. leg. Quintam, Precariū, quod idem hoc ius tribuere videtur. I. i, & paf. D. de prec. Sextam, Αντίχειντος, de qua in I. si pecuniam, 33, D. de pign. act. & I. si is qui bona, II, §. 1, D. de pign. hoc est, cùm pignus ita datur vt quoad debitor satisfaciat, eo creditor vtatur fruatur. Septimā, Legatum anni reditus certi fundi: de quo in I. fundi, 38, D. de vsuf. leg. I. liberto, 21, D. de an. leg. Nam hic legatarius fructus omnes omniū generum percipit. Septem igitur huius definitionis tāquam riuales licet enumerare, Emphyteutem, in agro vectigali: heredem fiduciarium, in fideicommissio: maritum, in re dotali: colonum, in re conducta: eum cui precario res concessa est: creditorēm αιπηχεώμενον, in fundo oppignerato: & prouentus anni legatarium. nam hi omnes definitionem illam non fructuarij propriam, sed sibi cū illo communem esse contendunt. Videntur est igitur, quemadmodum illorum argumentis responderi possit. nam si definitio hæc etiam in illos trāsferri potest, vitiosa est. definitum cñim & definitio inter se reciprocari & cō-

uerti debent.l.1,D.dol.mal. Quantum igitur ad
emphyteuticarum attinet, quanuis propriè ac
plene dominus agri vectigalis non sit, tamen
quasi dominus est: atque adeò disertè dominus
appellatur in l. possesores , 12 , C. de fund. pa-
trim.eiq; vtilis actio rei vindicandæ catissa per-
mittitur.l.1,D.si act.vect.l.5,§. bonorum , D. vt
in possleg.cuinetiam agrum ipsum oppignerare
potest, & donare, & vendere, & quovis mo-
do alienare, non modò inter viuos , verum etiā
per testamentum.l.tutor. 16, §. vlt. de pign. l. si
domus, 71, §. vlt. De legat. 1. vt iam non tam a-
liena re quam sua frui videatur. Sic heres fidu-
ciarius reuera dominium habet, & re sua, non a-
liena vtitur fruitur.l.1,§.1, & l. quanuis, 40, D.ad
Trebell. & quanuis à Iustiniano res aliena di-
catur, tamen id ex fictione intelligendum est,
cum ne in fideicommissarium quidē dominium
verum transferatur.l.3, D.si vsus pet. Sic mari-
tus constante matrimonio dotis dominus est
fictitius.l.in rebus, 30, C.de iur.dot.l.Lucius, 21,
§.4,D.ad municip.l. quanuis, 75, De iur.dot. I-
taque non aliena, sed sua re vti ac frui videtur.
Ita tres aduersarij illi primi verbis illis exclusi
sunt, R E A L I E N A. quoniam omnes vtuntur
re quæ sua est vel vere, vel per fictionem. Quan-
tum ad precarium facilis & expedita ratio est:
primùm, quia precarium nō potest definiri ius:
quia non iuris est, sed facti. l. si precario, 17, D.
comm.præd.arg.l. si adoptauero, 16, D. de pre-
car. quippe cuius & vsus & vtendi tempus planè

incerta sunt: totaque ex concedentis voluntate pendent. deinde in precario, non fruendi, sed tantum utendi potestas conceditur. Supereft ut colonum, creditorem αιπχεωμον, & legatarium prouentus anni excludamus: qui omnium acerrimi aduersarij sunt. nam & omni fructuum genere utuntur, & in re perspicue ac sine dubio aliena. An dicemus, quantum ad colonum attinet, ius fruendi quod ex locatione percipitur, certis legibus prescribitur. si merces, 25, §. conductor, D. locat. cum fructuario alia nulla lex & conditio fruendi prescribi possit, quam aequitatis ratio, & boni viri arbitratus, & patris f. frugi consuetudo. l. 1, & pass. D. vsuf. quem cau. Sed si nulla in locationis contractu lex sit adhibita, tamen cum bona fidei sit, ad boni viri arbitriu redigetur. l. cum venderem, 21, D. loc. Alia igitur Colono reddenda responsio est, quae reliquis duobus satisfaciet. Aliud esse ius utendi fruendi, aliud vinculum illius iuris. Ius est dominium iuris, quod fructuario per traditionem acquisitum est. l. 3. D. de vsuf. vt ei rei vindicatio ex iure Quiritium confessoria competit. l. 5, & pass. D. si vsusfr. pet. qua de causa vsusf. in fructuarij bonis & dominio numeratur. l. in vēditionē, 8, D. de reb. auct. iud. poss. At Colonus & creditor & legarius non habent dominium iuris, sed vinculum iuris, id est obligationem: quae definitur iuris vinculum, in, §. 1, Institut. de oblig. non enim obligationum vis ea est, ut rem aliquam nostram efficiat, sed ut alterum nobis obliget.

ad dandum, aut faciendum. l. 3, D. de oblig.
& a&t. & dominium ab obligatione separatur
in l. 2, D. de stip. seru. Vfusfructuarius igitur ha-
bet ius suū & in suo dominio: qua de caussa rea-
lem actionem habet: alij verò ius postulandi in
iudicio, vt sibi vti frui liceat: quo nomine per-
sonalem actionem habent. Itaq; aliud est vfusc-
fructus, aliud actio de vfuscitu ex testamento,
vel contractu. l. 1, in fin. D. quānd. dies vfusc. l. 1,
in princip. D. tit. seq. Quinetiam quantū ad an-
nui reditus legatariū attinet, tantū abest vt ius
fruendi in ipsius dominio sit, vt neque habita-
tionem habeat, neq; per se colat. & fructus per-
cipiat: sed heres vendere fundum possit, & ei
quātitatē eandē offerre. d. l. fundi, & l. nihil, 110,
D. de leg. 1, quæ omnia ab vfusc. iure abhorrent.
l. 7, & pass. D. de vfusc. aliud tamē iuris esset, si fru-
ctus annui legati fuissent. quibus verbis. verū v-
sum. Vlpianus significari statuit. l. si quis ita, 20,
D. de vfusc. Vsuarium autem in istorum cōpeti-
torū numerū non admisimus: quoniā vsuarius
ius habet vtendi tantū, non fruendi: neq; ta-
men salua rei substātia, vt nōnulli scribunt: hoc
est, non quantū rei natura & substātiā ferre po-
test: sed eatenus duntaxat, quatenus ad suble-
uandam ipsius necessitatē satis est. l. 4, D. de
oper. seru. l. plenum, 12, §. 1, D. de vfu & habit.

K.ij.



*An iustum coniugum solo partium consensu sine
publica testatione contrahatur.*

Q V A E S T I O X X I I I .

VB R I C A hæc disputatio est. nam magna ex parte ad religionē pertinet. quare hac præmunitione vtemur, ut Matrimonij caußā quidem efficiētem esse dicamus, partium consensum & conuētionem, l.2, D.de rit. nupt. Materiam autem & caußam sine qua nō, corporum coniunctionem: quia nec in castrato, nec in nondum viripotente matrimonium censemur. l.si serua, 39, §.i, D.de iur. dot. l.pen. D. quand. dies legat. Forma autem iure Romano, atque adeò forma essentialis, & sine qua coniugium non habetur, fuit deductio in mariti dominum, & aquæ atque ignis interuentus. l.pen. D. de don. int. vir. l.mulieri, 5, & l.seq. D.de rit. nup. l.cui fuerit, 15, D.de cond. & demonst. Finis autem(ut inter omnes constat) est propagatio sibolis, & liberorum procreatio. l.si vicinus, 9, C. de nupt. His positis, deinceps illud intelligendum est: si hanc quæstionem ad iuris ciuilis rationem reuocemus, magnā disputationis partem à religionis Christianæ institutis alienam fore. Nam Modestinus in l.in liberæ, 24, D.de rit. nupt. scribit in liberæ mulieris confuctudine, si modò quæstum corpore non faciat, non

concubinatum, sed nuptias intelligi. Item Panpin. in l. donationes, 31, D. de donat. statuit, mulierem maritali honore & affectione habitam, pro vxore habendam esse: quanuis testatio nulla sit. cui congruit illud Vlpiani in l. item legato, 49, §. 1, D. de legat. 3, inter concubinam & vxorem, nisi dignitate, nihil interesse. & l. 3, §. 1, D. de donat. int. vir. & l. 3, D. de concub. inter concubinatum & matrimonium nihil nisi affectionem interesse: ingenuamque mulierem domini sine testatione habitam, pro vxore numerari. quinetiam Imp. Theodosius in l. si donatum, 22, C. de nup. sanxit, matrimonium absq; vlla pompa & celebritate nuptiarū, atque adeò absque vllis dotalibus instrumentis firmum esse: liberosque ex eo susceplos, iustos esse. Nam si liberi pro iustis habēdi sunt, iustum antecessisse matrimonium oportet. quod idem Imp. Probus constituit. d.l. si vicinis, 9, C. eod. Atq; hæc quidem de Iustinianico iure dicta sint. ex quibus intelligitur, matrimonia non modò sine publica, verùm etiam sine priuata testatione, atq; adeò sola partium confessione eo iure conciliari. Nam de antiquo Romanorum iure absurdum esset disputare: quo non modo mulier domi à viro per anni spatium retenta, pro vxore vsu capiebatur (quemadmodum in Comment. xii tab. exposuimus) verùm etiam vir vxorem amico ad tempus liberorum suscipiendorum caussa concedebat. Quod Strabo lib. x 1, & Plutarch. in Catone Vtic. & Tertull. in Apologet.

memoriæ prodiderunt. Et de tacito matrimonij pacto, Sueton. in Caligula, Mox, inquit, L. Cassio Longino consulari collocatam abduxit, & in modum iuste vxoris propalam habuit. Quod si quis genus illud matrimonii taciti ad uxoriæ usucaptionis institutū referre volet, necesse erit summæ Tribonianum stultitiæ coargui: qui cum illa matrimonia sustuleret, leges tamen quæ ad illa pertinebant, reliquerit. Ut cunque sit, absurdissimum sanè videtur, cum matrimonium magna ex parte publici aut certè diuini iuris, etiam apud Romanos fuerit: quippe cum omnis diuini atque humani iuris communicatio definiatur. l. 1, D. de rit. nupt. atque uxor dicatur humanæ & diuinæ rei socia, l. aduersus, C. de crim. expil. deinde cum ad ciuis Romanæ caput pertinuerit (nam quæ materfa. fiebat, capite minuebatur) tamen sine actis atque adeò sine scriptura probatum fuisse. l. 4, D. de pignor. l. 4, de fid. instrum. & ut superius demonstratum est, tacitè, ac sineulla testatione: tātum ex domestica vitæ consuetudine: cum tamē neque emancipatio, neque adoptio fieri olim sine ritus solennitate posset. l. 3, D. de adopt. Videamus igitur, ne quæstionis huius disceptatio ex religionis nostræ institutis potius, quam ex ciiali Rom. iure petenda sit. quippe cum matrimonium (ut suprà diximus) potius diuini, quam humani iuris esse constet. quod vel hinc licet intelligatur, quod Christus & Apostoli cum ius de cæteris humanis conuentionibus atque pa-

Etis nullum sanxerint, tamen de matrimonio
leges multas statuerunt, vt Matth. 5, & 19, 1. Co-
rinth. 5, & 2. Cor. 2. & 1. Cor. 6, & 7, item 1. Petr.
3. Quinetiam conuentionem istam sacram esse,
Deumque ipsius auctorem & conciliatorē fuisse,
cūm ex ipsius instituto intelligitur, tum cer-
tiam ex his Christi verbis Marc. 10, Quos Deus
coniunxit, homo ne disiungat. Etsi autem par-
tim hominum quorundam ambitione, par-
tim temporum infelicitate multæ sensim in di-
sciplinam Ecclesiasticam corruptelæ inuectæ
sunt: tamen iniquum est, instituta per se bo-
na propter aduentitias corruptelas repudiari,
& (vt Vlpianus ait) veritas rerum erroribus
gestorum non vitiatur. l. qui illicitas, D. de off.
præs. Quare concludendum arbitror, mo-
rem matrimonij sine publica testatione & so-
lenni ritu contrahendi à Christianis repudian-
dum esse. Primùm quia cūm matrimonium di-
uini iuris sit, vt iam dictum est, consentaneum
est, diuini iuris & religionis ministros
in eo consecrando adhiberi. præfertim cūm e-
tiam profani homines non modò in pontifica-
libus matrimonii confarreatione vterentur, vt
iūm notum est omnibus: verūm etiam in peruvul-
gatis nuptiis, quæ per conuentionem in manū
siebant, & solennem in domum deductionem,
aquā atq; ignem adhiberent. d.l.pen. D. de don.
int. vir. Deinde quia cūm in matrimonii famili.
dignitas periclitetur, cautio adhibenda est, ne
qua honesta mulier p. cōcubina, aut meretrice,

vel nequi iusti liberi pro spuriis & nothis habeā-
tur, æquissimūmque videtur, quæ ad personarū
& familiarum, ac proinde ad ciuitatis statum
public. pertinent, non modò ritè atque ordinè,
verumetiam publicè ac solēniter fieri. sicuti de
adoptionib⁹ traditur in l.3, & l.4, D. de adopt.
quò pertinet illud Modestini, semper in coniū-
ctionibus non solūm quid liceat considerandū
est, sed etiam quid honestum sit. Itaque furtiuæ
& clandestinæ nuptiæ apertè damnatur ab Im-
perat. Cōstantino in l.vxor, 7, C. de repud. Præ-
terea pietatis adiunctum est, veteres Christianorū
mores scripturæ sacræ cōsentaneos ob-
seruari. Vetustissimum autem Christianorum
institutum hoc esse, vt matrimonia palam Ec-
clesiæ & ministrorum precibus consecrentur,
facilè demonstrari potest: primū ex Tertul-
liano qui lib. ad vxorem 2, ita scribit, Vnde suf-
ficiam ad enarrandam felicitatem eius matri-
monij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat
oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant, pa-
ter rato habet? Nam nec in terris filij sine con-
senſu patrum ritè & iure nubent. Alterum testi-
monium est ex l. sancimus, 24, C. de nupt. vbi
Imperator Iustinianus statuit, vt ea demum ra-
ta sint matrimonia, in quibus nuptiarum acceſ-
ſit festivitas. Tertium est ex Imp. Leonis Nou.
89, vbi sanxit, vt Christianorum coniugia sa-
cræ & ecclesiasticæ precationis testimonio cō-
firmentur: quæ aliter contracta erunt, pro iustis
coniugiis non numerentur. Quam constit. Har-

menop.lib.4,cap.4, commemorans, subiungit
Imp. Cæsarem Alexium Comnenū idem quo-
que constituisse. Quartum est, quod idem Har-
menop.eodem loco testatur, ecclesiasticis ca-
nonibus sanctum fuisse, ne clandestinæ nuptiæ,
& extra ecclesiam Christianorum celebrentur.
Quintum est, quod Papa Innocentius 111 testa-
tur, hanc veterem quoque Christianorum con-
suetudinem fuisse, non Papæ vlliis institutum,
vt conuentiones matrimoniorum in ecclesia
promulgantur.c.4,ext.de cland.desp.ybi sic lo-
quitur, Quare secundum specialem quorundam
locorum consuetudinem statuimus, vt cum ma-
trimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per
presbyteros publicè proponantur, competenti
termino præfinito: vt intra illum terminum qui
valuerit & voluerit legitimum impedimentum
opponat,&c. Eaq; promulgatio Bannum Lan-
gobardico vocabulo appellatur in c. cum in
tua,27, Ext.de spons.& ex vetere consuetudine
manasse dicitur in c. tum tua, 6, qui matr. ac-
cus. poss.idemque in c.aliter,30,q.5. In eandem
sententiam Caius Instit.lib.1,scribit,nuptias es-
se legitimas,cum Romanus Romanam nuptiis
interuenientibus vxorem duxit. Nam plerun-
que matrimonium à nuptiis ita dislinguitur,
vt illud conuentionem & paetum significet: ha{
verò ritum & solennitatem, quæ pro cuiusque
gentis institutis palam adhibetur, veluti apud
Scæuolam in l.pen.D.de don.int.vir. & vx.& a-
pud Paulum in l.si ita, 20, & Julianum in l.seq.

D. de rit. nupt. & in l. inter eos, 27, D. de don.
int. vir. itémque apud Dioclet. in l. neque sine,
13, C. de nupt. Itaque quod Iustin. Nou. 74, §.
(επιδηδι, 4, Juliano interprete ita scribit, Siquis
diuinis tactis scripturis iurauerit mulieri, legitimi-
mā se illam vxorē habiturum, vel si in oratorio
tale sacramētum dederit, sit illa legitima vxor,
quanuis nulla dos, nulla scriptura alia interpo-
sa sit: videndum est, ut secundum suprascriptā
cautionem interpretetur: quasi eo solo iureiu-
rando matrimonium quidem contrahi signifi-
cat: sed præter matrimonium nuptias superesse:
hoc est, ritum & solennitatem in Ecclesia Chri-
stiana visitatam. Quæ cùm ita se habeant, pri-
mūm perspicuum esse arbitror, neque veram
Duarenī doctiss. viri disputationem fuisse, qui
ad Rub. solut. matrim. multis verbis contendit,
clandestina matrimonia Digestorum libris da-
mnari. deinde leges & constitutiones Pandect.
& Codicis, quæ tacita matrimonij pacta pro ex-
pressis & solennibus habuerunt, à Christianis
repudiandas esse. eoque nomine Tribonianum
caterosque iuris nostri architectos grauiter vi-
tuperandos videri.

*An debitor qui soluendo non est, iure Rom. affici
pœna corporali passit.*

Q V A E S T I O X X I I I I .

CELEBRAT VR quidem ab omnibus legis Iuliæ beneficium, quæ debitores qui soluēdo non sunt, si bonis suis cesserint, carceris & verberum periculo liberat. nam per eam cessionem creditoribus potestas tantum relinquitur dñnnati bona publica auctio- ne diuidendi. l. 1. & l. 4. C. qui bon. ced. poss. Sed nemo explicat, quid illud sit, quod cum vetustis legibus Porcia & Sempronia ciuium Rom. corpora quodāmodo quasi sacrosancta essent, neque verberibus in eos animaduertere liceret: tamen inopes debitores, nisi legis illius Iuliæ præsidio tuti fuissent, verberibus & cruciatui corporis subiiciebantur, vt ex illius legis Iuliæ beneficio intelligitur. Quinetiam Imper. Gratianus sanxit, ne debitor, nisi qui per vim maiorem bonis euersus fuerit, bonorum cessione uti possit: sed vt ad redditionem débitæ quantitatis congrua atque dignissima suppliciorum acerbitate cogatur, vt ait l. 1. C. t h. qui bon. ex leg. Iul. ced. eodemque pertinet l. si victimum, 34. D. de re iud. necui liceat prohibere victimum & stratum inferri iudicato: nimirum in carcerem detruso. Et Nou. 135, ubi per bonoru cessionem

remitti dicitur *ν τομαντημεια*. Itēmque illud Ambrosij in Top. cap. 10, Quoties, inquit, vidi à fœneratoribus teneri defunctos pro pignore, & negari tumulum dum fœnus exposcitur. Quibus ego acquiescens dixi, Tenete reum vestrū, & ne vobis possit elabi, domum ducite, claudite in cubili vestro, carnificibus duriores: quoniā quem vos tenetis, carcer non suscipit, exactor absoluit. Et cap. viii, Vidi ego miserabile spe-
ctaculū, liberos pro paterno debito in auctionem deduci, & teneri calamitatis heredes, qui non essent participes successionis, & hoc tam immane flagitium non erubescere creditorem. Item in lib. de Nabuthe, cap. 5, Vidi ego pau-
rem duci, dum cogeretur soluere quod nō ha-
bebat: trahi ad carcerem, quia vinum deesset ad
mensam potētis: deducere in auctionem filios
suos, ut ad tempus pœnam differre possit: inue-
tum fortè aliquem qui in illa necessitate subue-
niret. Redit ad hospitium cum suis, ingemiscēs
filiorum famem, dolens quod eos non potius
ei qui posset pascere, vendidisset. Redit ad con-
silium, vendendi sumit arbitrium. Item Off. I.
Grandis culpa est, si te sciente fidelis egeat, si
scias eum sine sumptu esse, fame laborare, & nō
adiuues: si sit in carcere, & pœnis & suppliciis
propter debitū aliquod iust⁹ excrucietur. Sic in
I. ob fœnus, 49, D. de admin. tut. tutor qui pecu-
niā pupillarem non exercuit, si ad damnum re-
faciendum idonus non est, extra ordinē coe-
retur. Item in l. 3, §. qui pecuniam, D. eod. vbi

tutores improbè in administratione versati, vin-
culis publicis contineri iubentur. Item in l. si
pro aliquo, 21, §. 1, D.ad Velleian.vbi pater iu-
dicatus propter solutionem vexari dicitur. Itē
in l.vlt.in fva.D.quæ in fraud. cred. vbi frauda-
tor cōuentus pœnam subire dicitur. Quare in-
telligēdum est variū eius rei ius apud Romanos
fuisse. Nam vt rem ab ouo (quemadmodum di-
ci solet) repetamus, primum ius fuit x 11 tab. vt
debitores damnati sī iudicatum facere nō pos-
sent, publicē venderentur, atque addicti serui-
rent, id est, in neruo operas darent: vt testatur
Gell.lib. 20, cap. 1, & Quintil.lib.5,& lib.7,vbi
de Addictis loquitur. Atque inde natum illud
Romanorum institutum videtur, vt reges exte-
ros (opinor) qui soluendo non erant, cum pur-
pura, & sceptro, & corona in sella regia collo-
catos publicē venderēt. Cicero pro Sextio, De
hoc nihil cogitante (loquitur de Ptolemæo Cy-
pri Rege) est rogatum , vt sedens cum purpura
& sceptro, & illis insignibus regiis, præconi pu-
blico subiiceretur: & impérante populo R. qui
etiam bello victis regibus regna reddere con-
suevit , rex amicus , nulla iniuria commemo-
rata, nullis repetitis rebus , cum bonis omni-
bus publicaretur. Sic pro Domo, Vbi Cyprius
Rex cum bonis omnibus sub præcone subiice-
retur. Nam publicandi regni caussam hanc (vt
opinor) Clodius lege sua præscripserat, de qua
lege Dio lib.38 commemorat. Prius autē quām
debitor ipse venderetur, omnia eius bona pu-

blicè constituta auctione distrahebantur. Nam cùm antiqua lege xii tab. institutum fuisset, vt creditores debitoris corpus diffecarent, atque inter se partirentur: tanto populi consensu consuetudo inoleuit, vt eius bona distraherentur, sic, vt ne ad victum quidem & cultum quicquā ei relinqueretur. vt Gelli⁹ eod. loco testatur, & Fab. lib. 3, cap. 6. & Tertullian. in Apologet. ac de vniuersa quidem bonorum venditione, testimoniū est in §. I, Inst. de success. subl. ad eāmque referendus est ille Ciceronis iōcus Philipp. xii, Videte etiam P. Decij auctionem clarissimi viri, qui maiorum suorū exempla persequēs, pro alieno sc̄ ære deuouit emptori: id est, bona sua vniuersa vendi passus est. Neque mihi eorū displicet coniectura, qui Sectionis nomen inde cōfictum existimant, propter legem xii tab. quæ debitoris corpus secari ac diuidi inter creditores permittebat: vt cùm ea lex à corpore ad bona translata esset, nomen re mutata permaneserit. velut in l. insula, 59, D. de acq. rēr. dom. Eōq; illud Ciceronis pertinet in Orat. pro Quintio, Si funus id habendum sit, quò non amici conueniant ad exequias cohonestandas, sed bonorum emptores, vt carnifices, ad reliquias vitæ lacerandas ac distrahendas. De victu autem & cultu testimonium extat primū in eadem Orat. his verbis, Cuius non modò illæ amplissimæ fortunæ, sed etiam victus vestitusque necessarius sub præconciū cum dedecore subiectus est, is non modò ex numero viuorum exturba-

tur,

tur, sed, si fieri potest, infrà etiam mortuos amādatur. Et de Addictis in lib. De orat. 2, Apud Nævium, inquit; qui iudicatum duci videt, percontatur ita, Quanti addictus? mille numūm: Nihil addo. Ducas licet. Item in ea pro Flacco, Addictus Hermippo, quòd iudicatum non faceret, & ab eo ductus est. Et apud Liuium lib: 23, Qui capitalem fraudem ausi, quique pecuniæ iudicati in vinculis esſent, &c. Alterum testimonium extat in Nouell. Iustin. 154, in illis verbis quæ paulo pōst exscribemus, καὶ τὸ εφημέριον Θρῆνος &c. De iudicati autem addictione, paſſim testimonia extāt; sed præsertim in illis Gellij & Quint. locis. Vnde illud Manlij apud Liuium lib. v 1, Tum verò ego nequicquam hac dextra Capitolium arcémque seruauerim, si ciuem commilitonémque meum tanquam Gallis victoribus captum in seruitutem ac vincula duci videam. Inde rem creditori, palam populo, soluit: librāq; & ære liberatum cmittit. Pōst, tertium ius successit, anno CCCCXXVII, per legem Pætilio & Papyrio cōss: latam, ne quis neruo aut compedibus teneretur: pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus esse obnoxium. (cuius rei Liui⁹ libro 8 est auctor) ita nexos suis se solutos, cautumque ne in posterum necteretur. Tum igitur obseruari cœptum est, ut qui creditoribus addicerentur, soluti operas darēt. Quāquam incurrit disputatio ex Varronis verbis lib. de ling. v 1, Liber, inquit, qui suas operas in seruitute pro pecunia quam debet dat, dum

solueret, Nexus vocatur, vt ab ære, Obæratus. Hoc C. Popilio rogante, Sylla dictatore sublatum ne fieret, & omnes qui bonam copiam eiurarent, ne essent nœxi, dissoluti. Quo loco vox DISSOLVTI (vt opinor) superuacanea est. Bonam autem copiam eiurare, nihil aliud erat (opinor) quam iurare se in bonis non habere, vnde dissolui æs alienum posset. Verum vtcunque sit, illa difficultas manet, cum superior illa lex valeret, quid hac noua Popilia opus fuerit? nisi dicamus, vel illam neglectam, vt per aliam renouanda fuerit, quod saepe accidisse constat: vel sicuti Syllæ pleraque acta rata non fuerunt, sic nec legem illam tenuisse. Itaque Cicero in Rullum, Omnia, inquit, legum iniquissimam dissimillimamq; legis esse arbitror, eam quam L. Flaccus interrex de Sylla tulit, vt omnia quæcunque ille fecisset, essent rata. Quinetiam ius quod quarto loco successit, dubitationem auget. Lata enim lex Iulia est (à Julio, an ab Augusto, mihi non satis constat) vt debitoribus qui soluendo non essent, bonis suis cedere liceret. quæ bona creditores si eis videretur, publicè constituta auctione diuenderent: quibus bonis suis cessissent, in eos creditoribus ius nullum esset: neque eos vel in seruitutem, vel ad operas dannas addici, aut in carcerem compingi, aut ullo modo in eos animaduerti liceret. l. 1, & l. 4, C. qui bon. ced. poss. Sed (meo iudicio) dicendum est, propter fœneratorum potentiam, neglecta legum superiorum sanctionem fuisse. cuius rei


argumento est illud C. Manlij apud Sallust. in Catilin. Neque cuiquam nostrum licuit; in ore maiorum, lege vti, neque amissio patrimonio, corpus liberum habere. Legis autem Iuliæ beneficium ad fraudatores & decoctores, id est eos qui nequitia sua bona perdiderant, nō pertinuisse, verum ad eos solos, qui vi maiore aliqua, velut incendio, naufragio, vel hostium incursu fortunis eversi fuerant, documento est l. i. C. t h. qui bon. eed. poss. & Nouell. 135. Ut cūque sit, difficilis tamen illa quæstio permanet, propter legem Porciam: de qua sup. dictum est. Quare videamus, nc legis Porciæ & Semproniæ beneficium ad tenuiores ciues & fures nō pertineret. Nam ex multorum auctorum testimoniis animaduerto, potestatem in illos Triumuiris capitalibus fuissc, qui ius ad columnam Meniam dicebant, & octo lictores habebant, quos Plautus valentes virgatores appellat, qui eorū iussu in damnatos animaduertebant: quē admodum docuimus in lib. de Magistratibus. Hinc illud Asconij in Diuin. Ut fures, inquit, & seruos nequam, qui apud Triumuiros capitales ad columnam Meniam puniri solent. Cic. Verr. 3, Oblitosne igitur hos putatis, quēadmodum sit iste solitus virgis plebem R. cōcidere? quam rem etiam Tribunuspl. in concione egit, cūm eum quem virgis iste cæciderat, in prospectum populi R. produxit. Eōq; pertinet l. interdum, 56, §. 1, D. de furt. & l. pen. D. de cond. causs. dat. vbi fures corporali suppicio afficiuntur: quo in

numero probabile est , debitores qui non for-
tunę iniuria, sed sua culpa, & (vt hac in re loque-
batur) nequitia redacti ad egestatem erant, ha-
bitos fuisse. Eoque pertinere arbitror locum il-
lum Sextianæ Orationis, aliqua tamē parte de-
prauatum , Olim ne Scyllæo illo æris alieni in
fretō ad columnam adhæresceret, in Tribuna-
tus portum profugerat. Nam (meo iudicio) co-
lumnam Meniam intelligit , ad quam damnati
debitores alligati verberabantur: & (vt loquitur
I.I.C. t h. qui bon.ced.poss.) cōgrua supplicio-
rum acerbitate cogebantur. Gabinius autem,
quòd Tribunatus sacrosanctus erat , eo magi-
stratu supplicij illius periculum deuitarat: quod
tamen oratoriè & magis ad Gabinij vexationē,
quām ad veritatem accōmodatè dictum à Ci-
cerone non dubito. nisi fortè quis dicat, viros e-
tiam primarios, qui soluēdo non essent , duci in
carcerem solitos, quoniā Valer. Max.lib.4, cap.
1, scribit, Corn. Scipionem Asiaticum, cùm iudi-
catæ pecuniæ satisdare nō posset, in careerem à
Cōsulibus duci iussum esse: sed probabilius est,
publici iudicij damnationē illam fuisse. Et huc
pertinet primum lex Roscia theatalis, vt equi-
tibus R. quatuordecim gradus spectandi cauſa
in theatro assignarentur , exceptis iis qui de-
coxiſſent: quemadmodum in lib. De legibus
exposuimus. Deinde Adriani Imp. edictum,
vt decoctores in Amphitheatro catamidiaren-
tur: quod Spartianus in ipsius vita testatur. Ne-
que obstat I. ob æs alienum, 12, C. de obl. & act.

vbi Dioclet.scribit, Iura non pati quēquam ob
x̄s alienum seruire.nam Seruire propriè non di-
xit, sed impropriè, pro Seruum esse, vel serui-
tutem seruire. Etenim Quintilianus lib. 5, &
lib. 7, scribit, Addictos qui operas creditoris-
bus dabāt, seruisse, sed seruos non fuisse. Minus
obstat l. 2, C. de exact. trib. vbi Constantinus iu-
bet, debitores omnem carceris & verberum ti-
morem deponere: quæ à peruersis & iratis iudi-
cibus instituta sunt: quoniam carcer pœnaliū,
carcer hominum noxiōrum est, non autem de-
bitorum caussa repertus. Nam illa est Con-
stantini noua lex de suis tributis & fisco: cuius
nunquam caussam malam esse, nisi sub bono
Principe, verissimè dictum est. Multo minus
obstat vulgatum proverbum, Ut qui non ha-
bet in ære, luat in corpore. l. 1, in fin. D. de pœn.
l. si quis, 7, D. de iurisd. l. vlt. D. de in ius voc.
l. qui ædes, 9, D. de incend. nauf. nam prover-
bum illud ad criminales caussas pertinet, cùm
pœna pecuniaria criminum damnatis imposita
in corporalem conuertitur. Iam verò quod at-
tinget ad l. si victum, De re iud. necesse est, iudica-
tum de quo ibi agitur, vel bonis nō celsisse, vel
potius fraudatorē ac decoctorē fuisse: ac pro-
pterea legis Iuliæ beneficio vsum non fuisse, Su-
perest quintū & postremum ius, quo superiora
omnia sublata & abrogata esse arbitror, No-
uell. Iust. 135. Gr̄cis in codicib⁹ nuper euulgata,
cùm antea Latinis interpretib⁹ nota nō fuisset.
Nam neq; in Epitomas & Authēticas Latinas

relata est, neque ab ullo (quod sciam) veterum interpretum commemorata: tametsi locis infinitis de bonorum cessione disputatione. Iustinianus ergo statuit, ne debitores, qui non sua nequitia, sed fortunæ vitiō, ἐκ τῆς συμβεβηκότος, & οὐ παραμία facti erunt non soluedo, bonis cedere cogantur: sed posteaquam iurarint se non habere in bonis vnde æs alienum soluant, & (ut superius dicebamus) bonam copiam eiurarint, ab omni creditorum molestia liberi ac soluti sint. quibus tamen actiones petitionesque omnes quæ debitori competit, competituræve sunt, cedentur, ut si quid aliunde exigere possint, sibi habeant. Quibus ex verbis primùm apparet, ea Nouella reuocatam fuisse legem Popiliam, de qua superius ex Varrone diximus. Deinde bonorum venditionem, quæ lege Iulia fiebat, abrogari. quod illa verba significant, Ποὺ γὰρ δικαιοεῖν τὸν ἀπαξέντα τῆς συμβεβηκότος καὶ οὐ παραμία τῷ διδομένῳ ἔκτος τῷ αὐτῷ χρεούται, αὐτὸς αὐτοῦ τὸν βιον εἰσαγωγὴν δένει, καὶ τῆς ἐφημέρου Θεοῦ, ὡς εἶχε, τῆς τε τῆς στάματος σκέπτης ἐξωβιαῖς καταστῶν; Denique si bonoru cessio à debitore fit, eorumq; discussio à creditoribus, quid attinet debitorem iurare, sibi in bonis non esse, unde creditoribus satisfaciatur? Multo ergo magis debitores subleuauit Iustinianus, quam lex Iulia: quod si bonorum venditionem & cessionem reliquisset, futurum nō erat. Nam cum ex lege Iulia bona vendebatur, debitori ne ad victimum quidem & cultum quicquam relinquebatur, ut superius diximus. Neq;

obstat l. qui bonis, 6, D. de cess. bon. vbi quod misericordiæ cauſſa, velut menstruum aut annuum debitori relictum eſt, adimi vetatur. nec enim alimentis quotidianis fraudandum eſſe. primū quoniam Vlpianus agere illo loco videtur de eo quod poſt bonorum venditionem à creditoribus factam ab alio quodam, propinquo videlicet & amico, misericordiæ cauſſa ei legatum eſt. deinde ut relictum ab iſpis creditoribus dicamus, tamen illa ratio eſt, quod donatum misericordiæ cauſſa eripi niſi immisericorditer non poſteſt. Alterum Iustiniani institutum eſt, quod etiā bonorum cēſſio infamiam non irrogat. l. debitores, ii, C. ex quib. cau. infam. l. vlt. C. qui bon. ced. poſſ. tamen Iustinianus duobus Nouellæ locis apertè ignominiam bonorum venditionem appellat, ἀχμονα πνευματικα. Item, καὶ τοῦ ἀχμοσῶν πνεύματος μέχει γράμμα οὐειδιομένων. quod conuenit cum l. 2, D. de obseq. par. & Nou. 4. Itēmque cum §. 1, Inst. qui. & quib. de cauſſ. manum. vbi bonorum venditio debitori notam aliquam apud bonos viros afferre dicitur. Hanc igitur qualemcunque ignominiam Iustin. sustulit, cùm bonorum venditionem, vnde illa nascebatur, sustulit. Illud ad extremum in d. Nou. notādum eſt, sanctiōnem illius nouæ constitutionis hanc fuisse, vt creditores qui ei non parerent, decem auri libris multarentur, & propter ſolam ἀθημονή & peccandi cogitationem capitis periculum ſubirent.



*Iudex utrum ex conscientia, an secundum edita in
līte instrumenta iudicare debeat.*

Q V A E S T I O X X V .



AT A primūm hæc quæstio est ex dissensione Martini & Iohannis, quorum ille conscientiam, hic accepta & probata (sic enim loquebātur) defendebat. Mendoza autem Probata dicebant pro Testimonia, aut Instrumenta: cùm ea demum Probata Latinè dicantur, quæ fidem faciunt ac persuadent. vt l. 3, D. de testib. Ex animi tui sententia te estimare oportere, quid aut credas, aut parum probatum tibi opinere. Cicero in Quintiana, Si caussa cum caussa contenderet, nos nostram perfacile cuius probaturos statuebamus. Iohannis autem sententiam Canonistarū omnes acerrimē defenserunt in cap. pastoralis, 28, §. quia verò Ext. de off. deleg. vbi iubetur ordinarius exequi sententiam à delegato pronuntiatam, quanuis ea iniqüissima esset. inibique glossa nimiam conscientiarum religionem irridens, Trepidant, inquit, timore, vbi non est timendum. pronuntient liberè, & deponant conscientiam læsam. Summū autem Canonistarum argumentum sumitur ex l. illicitas, 6, §. veritas, D. de off. præsid. vbi Vopianus ita scribit, Veritas rerum erroribus gestorum non vitiatur: & ideo Præses prouinciae

id sequetur, quod conuenit ex fide eorum quæ probabuntur. quasi Vlp. statuat iis verbis, Præsidem debere non animi sui sententiam, sed instrumentorum & testium auctoritatem sequi. Cætera quæ proferuntur argumenta ex c. 1, De off. ord. & 11. q.3. c. summoperè, planè absurdæ & nugatoria sunt, neque commemoratione digna. Minus etiam ad propositū pertinet, quod de Gellio proferri solet ex ipsius lib. xii, cap. 11, cùm apertè scribat, nihil se certi & explorati habuisse: tantummodo suspicione & conjectura ductum fuisse, ex eo quod peritor boni viri nomen & existimationem haberet: infiator verò pro improbo & perfidioso haberetur. Quare vnum illud Iohannis argumentum ex suprascripto Vlpiani loço considerabimus. In quo illud primū animaduertere oportet, in Florent. libris non G E S T O R V M legi, sed G E S T A R V M, quasi Vlp. dixisset, Veritatem gestarum rerum nullis erroribus vitiarī. Quod ut cuiusmodi sit intelligatur, illud scire oportet, Gestorum nomine duo significari: primū res administratas, & (ut ait textus) sine verbis factas. l. Labeo, 19, D. de verb. sign. & quasi pro facto. l. licet, 58, D. eod. Atq; hoc eodem modo Pedianus Fidem gestorū dixit, Verr. 111. Hoc, inquit, comminiscitur Cicero, ut credamus veram fuisse secundam actionem, quæ secundum veram gestorum fidem, non dicta, sed scripta est: id est secundum rei gestæ veritatem. Secundò Gestorū nomē interdum pro actis & instru-

mentis usurpatum. ut in l.iubemus, 14, §. iis quoque, C.de sacros. eccl. Iis quoque iudicibus, vel ius gestorum habentibus, qui huiusmodi contractuum gesta confecerint, dignitatis & bonorum spoliatione damnandis. & l.vlt. C.de re iud.l.properandum, 11, §. 1, l.vlt. C.de iudic.l.nemini, 11, C.de aduoc.diu. iud. quemadmodum alio quoque loco in eandem sententiam scribitur, In contractibus rei veritatē potius, quam scripturam perspiciendam esse. l. 1, C. plus val. quod ag. quod idem in legibus seqq. inculcatur. Cicero Verr. 111, Volumen eius rerum gestarum maximum illi ostendit. Quantum igitur ad priorem significationem, nō dubium est, quin ille Vlp.locus nihil prorsus ad propositā quæstionem, aut sententias iudicū ex animorum sententia moderādas pertineat. sed potius ad eos in officio probationum & testimoniorum ponderandorum continēdos valere. Quātum autem ad secundum, sententia hæc Vlpiani esse possit, Præsidis officium esse, non tam instrumētis (quæ vitiosa & falsa esse possunt) quam rei veritate moueri. Ibi autem veritatem ex iis quæ probabuntur, perspici. Quantum autem ad propositam quæstionem attinet, distinctione vtendum videtur: vtrum ambigat tantum iudex, ut in caussa obscura, an errorem vel falsitatem perspiciat. Nam priore casu, ex æquo & bono caussam quam lædi putabit, adiuvare poterit. ut l. 1, C. vt quæ def.aduoc.part. supplendo, & proferendo quæ minus erunt à partibus eo-

rūmque aduocatis probata. Itēmque iuramento alterutri deferendo. Solent enim iudices in dubiis caussis , exacto iureiurando, secundum eum iudicare qui iurauerit, ait l. admonendi 31, D.de iureiur. ac sāpe iudices non continuò auctore nō probante reum absoluunt, sed in probationum inopia iuramentum deferunt. l. 3, C. de reb.dub.Cicero de off.1, Bene præcipiūt qui vetant quicquam agere , quod dubites æquum sit an iniquum. æquitas enim lucet ipsa per se; dubitatio autem cogitationem affert iniuriæ. Sinautem bonam caussam falsitate aliqua vel instrumētorum,vel testium lædi videant , quoniam hīc de conscientia & iudicū religione agitur, qui prout religio suggerit, sententiā proferre iubentur,l.eum quem,79, D. de iudic. religiosius facturos iudices arbitrarer , siquidem huiusmodi sunt,vt ab iis prouocatio sit, si se ab eo iudicio abstineant:atque adeò, si verè id possunt, testes se liberè in ea lite, ac præsertim in criminalibus caussis præbeant. Nam si ab eorum sententia appellaretur, non ea fortasse superior videret quæ illi perspexerant. Sinautem prouocatio ab iis nulla est , tum quia litigatores fiduciæ ac potestati ipsorum commiserunt , arbitror & diuino & humano iuri consentaneum esse, ex animi sententia , religione, conscientia pronuntiari.arg.d.l.3,& l.quæsitum,13,D.de testib. præsertim cùm non ex formula , sed ex æquo & bono,ac proinde ex arbitrio iudicent. vt apud Senecā lib.de Clement.2,Clementia,inquit,li-

berum arbitrium habet, non sub formula, sed ex bono & æquo iudicat. & absoluere illi licet, & quanti vult æstimare litem. Quod verò de testimonio diximus, cautius facturum iudicem, si iudicare supersedeat, ac se se testem præbeat, cōfirmatur exemplo Scipionis Africani, de quo Cicero in Cluentiana his scribit verbis, Non enim mihi exemplum summi & clarissimi viri P. Africani prætereundum videtur, qui cùm esset Censor, & in equitum censu C. Licinius sacerdos prodiisset, clara voce, ut omnis concio audire posset, dixit, se scire illum verbis conceptis peierasse. si quis contrà dicere vellet, usurum esse eum suo testimonio. deinde cùm contrà nemo diceret, iussit equum traducere.



An iudicandi munus iuris et legum imperitis mandari possit.

Q V A E S T I O X X V I .

V S T I N I A N V S quidē in Nouell. 82. multis verbis disputat, per nicosum esse, iuris ac legum imperitos ad iudicandi officium adhiberi: quanuis aliunde iuris eius quo de agitur peritiam mutuari possint. propterea quod ab se illam potius sumere, quam

aliunde corrogare debeant. Præterea satis constat, sententiam contra ius ciuile & cōstitutio-nes principum prolatam nullius esse momenti. l.2, C. quand. prouoc. non necess. vbi iuris imperitus pronuntiarat testamentū ab impubere factum ratum esse. Facit l. non quicquid, 40, D. de iudic. l. præses, 27, & l. cum prolatis, 32, D. de re iudic. Quod si dolo malo contra principum constitutiones sententias pronuntiauerint, lege Cornelia de falsis teneri. l. 1, D. ad leg. Corn. de fals. quinetiam dubitatū fuit in l. 1, C. ad leg. Jul. maiest. an læse maiestatis teneretur. Ut merito videri possit, nō modò literarum ac disciplinæ alicuius, verum etiam iuris cognitionem exquiri, ne in illa crima incurvant, si tanquam cæci de coloribus iudicent. Tertiò cùm officiū iudicis sit, non modò quæ sua sponte litigatores afferunt audire, verùm etiam ab illis ecquidnam certis de rebus pro se afferre ac respōdere velint, exquirere, l. iudices, 9, C. de iūdic. quomodo iuris & legum imperitus interrogatio-nes illas adhibere poterit? de quibus etiam mé-tio fit in l. penult. D. de interr. act. Quartò nul-lius momenti sentētia est, nisi per ipsum iudicē de scripto recitata sit: quanvis eam illustribus per officiales suos recitare permittatur: l. 3, & l. vlt. C. de sent. ex peric. Ex contraria verò parte ita disputari potest. Primùm satis cōstat, in ipsa ciuitate Romana, vbi summām Iurisconsultorum dignitatem fuisse constat, tamen iudicia non à Iurisconsultis, sed plerunque ab Equitibus

(quorum plerique publicani erant) Tribunisq;
ærarij exerceri solita fuisse. quod ex Verrinis &
Asconio & legibus iudiciariis notum est. Quinetiam
Cicero Philipp. I, & 5, testis est, Antonij
lege iudiciaria cautum fuisse, vt tertia Iudicum
centuria fieret è centurionibus, antesignanis,
alaudis, manipularibus. Sed & in Gallia nostra
annis ab hinc circiter trecentis non modò Iu-
dices iuris & legum periti non erant, verùm e-
tiam plerique illiterati esse solebant. quinetiam
Reges ipsi caussas priuatas disceptabant, vt in
Francogallia nostra demonstrauimus.

Præterea nemini ignotum est, Romæ apud
Centumuiros de priuatis controuersiis omni-
bus disceptatum fuisse. Iactare se in causis Cen-
tumuiralibus (inquit Cic. de Orat. I.) in quibus
vsuacionum, tutelarum, gentilitatum, agna-
tionum, alluisionum, circunluuionum, nexoru,
mancipiorum, parietum, luminum, stillicidio-
rum, testamentorum ruptorum aut ratorum,
cæterarumque rerum innumerabilium iura ver-
santur, &c. Multos autem in eo numero à iuriis
disciplina & studio alienissimos considere so-
litos, vel ille Ouidij versus argumento est, lib.
de Ponto 3, *vtque fui solitus, sedissem forsitan unus*
De centum iudex in tua uerba uirus. vt omittā quod
omnibus notum est, Iudices Romæ non ex do-
ctrina, sed ex cœsu fieri solitos: auctore Plin. lib.
14, cap. 1. Similiter Gell. lib. 14, cap. 2, scribit, se
hominem adolescentem à poetarum fabulis &
à rhetorum epilogis à Prætoribus in iudicū

numerum allectū fuisse, cōfestimque libros de officio Iudicis sumpsisse: vt quoniam vocis viuæ copia deerat, ex mutis magistris officiū suū cognosceret. Tertiò satis constat, more Rom. comparatū fuisse, vt qui Recuperatores à Prætoribus dabantur, plerunque iuris imperiti darentur: cum eo tamen, vt à Iurisconsultis consilium exquirerent, vel ad eos scripta & obsignata Iurisconsultorum responsa deferrentur. Cuius rei præclara in Orat. pro Cæcina documenta videre licet. Quartum argumētum sumi potest ex l.pen. C. de iud. vbi Iustin. statuit vt etiā militaribus hominibus iudicandi munus mandetur, qui tamen armorum non iuris studio dediti dicuntur in l.vlt. C.de iur. delib. Itaque magistri militiæ inter militares homines cauſas etiam ciuiles disceptabant. l. magisteria, 6, C. de iurisdict. l. vlt. in princip. De re milit. l.2, C. si à non competit. iud. l. 1, & pass. C. de off. mag. mil. Quintò videmus in l.eū quē, 79, §.1, D. de iudic. exemplum dati iudicis, qui de eo iure quod agebatur, eum à quo datus fuerat consulebat: quippe cùm ipsius imperitus esset. Sextò cùm textus in l.1, §. quanuis, D. de postul. & l. cæcus, 6, D. de iud. indistinctè statuunt, etiam cæcum officio iudicis fungi posse: non distinguemus utrum casu cæcus factus sit (vt App. Claudius qui sententiam in Senatu dicebat) an verò natura, vt nunquam literas didicerit. Non enim corporis sed mentis cæcitas iudicandi facultatem adimit: veluti impuberibus, id est minoribus

annis x v i i i . l . cùm Prætor, 12, §. 1, D. de iud. iūcta l. quidam consulebat, 57, D. de re iudic. quāquam natura cæcum, iure ciuili multisque aliis artibus erudiri posse nemini dubium est. Septimum ex argumento sumptum. nam negotiorū administratio etiam imperitis literarum mandari potest. §. 3, De excus. tut. non modo priuatorum, quantumuis grauium, cuiusmodi est tutela, l. 6, in fin. D. de excus. verum etiam publicorum, ut decurionatus, l. expertes, 6, C. de decur. Quod si ex iuris nostri ratione disputādū esset, videri posset distinctionem adhiberi opotere; Vtrum iudex maior sit, an pedaneus. quæ distincō memoratur cum aliis locis innumeris, tum præsertim in l. properandum, 11, C. de iud. Nam si maior est, quoniam assessores adhibere in cōsilium potest, qui plerunque de corpore iuris studiosorū sumebātur, l. 2, D. quod quisq. iur. ita puto eum iudicis officio fungi posse, dū tamen illos adhibeat. Sinautem iudex esset pedaneus, tum ita demum adhiberi literarum imperitum posse, cùm à Iurisconsultis consilium expētisset. Nam Romanæ ciuitatis hanc fuisse consuetudinem, superius diximus: idque Imperatorum constitutionibus confirmatum fuisse patet ex §. responsa, De iur. nat. gent. & l. l., C. TH. de resp. prudentum. vbi tanta illorum respōsorum erat auctoritas, ut Iudici ab illis recedere non licet. l. 2, in fin. D. de orig. iur.



An, & quibus casibus, pluribus concurrentibus actionibus uti liceat.

Q V A E S T I O X X V I I .

AR D V A, multiplex, & confragosā quæstio est. sed ordinem & lucem adhibebimus. Quoties (inquit Vlpiān.) concurrunt plures actiones eiusdem rei nomine, vna quis experiri debet. l. nemo, 43, D. de reg. iur. quam sententiam in rerum quidem vindicationibus verissimam esse video, propter l. 3, l. 5, l. 6, l. 7, D. de excep. rei iud. sed actiones in personā ab actionibus in rem hoc differunt, inquit Paulus, quod cùm eadem res ab uno eodem mihi səpius debeat (sic enim legēdum arbitror) singulas obligationes singulæ caussæ sequūtur. nec vlla eorum alterius petitione vitiatur. at cùm in rem ago, non expressa caussa, ex qua reī meram esse dico, omnes caussæ vna petitione apprehenduntur. neq; enim amplius quā semel res mea esse potest, səpius autem deberi potest. l. & an eadem, 14, §. 2, D. eod. Et hoc pertinet, l. nunquam, 130, infrā cod. nunquam actiones de eadem re concurrentes alia aliam consumit: vt scilicet de personalibus tantum intelligatur. Itaq; cùm eadem res eidem & ab eodem duplii de caussa & obligatione debetur, non modò post vnius actionis damnationem altera vti licebit,

M.j.

I. Aurelius, 28, §. vlt. D. de lib. leg. & in I. Lucius, 93, §. 1, De legat. 3. verūm etiam post vnius victoriā altera insuper vti permittitur. I. si is qui, 18, D. de obl. & act. I. non est nouū, 10, D. de act. empt. Quinetiam non modò diuersam actionē licet instituere, sed interdum etiam eandem instaurare, ac referre: certis tamen de caussis: veluti ob iustum errorem. I. habitat, 13, D. de inst. act. I. 1, §. vlt. D. quand. de pecul. I. 4, §. vlt. D. quod cum eo qui in al. Item cùm exceptio in priore iudicio temporalis fuerat, vt d. I. 1, §. vlt. Quand. de pec. & I. qui cum herede, 15, D. de obl. & act. item cùm generalis actio prius certis de rebus instituta est, iterūmque de aliis rebus refertur. I. 2, C. de iud. Vbi tamen duæ competunt personales actiones, quarum vna eadémque vtriusque vis est, altera per alteram consumit, siue ex contractu natæ sint, I. pro socio, 38, §. 1, D. pro soc. & I. generaliter, 5, D. de fideiust. I. quod in herede, 9, §. 1, D. de tribut. d. I. non est nouum, 20, in fi. D. de act. empt. siue partim ex contractu, partim ex delicto, I. qui seruum, 34, §. si is cui, D. de obl. & act. I. in rebus, 18, §. siue autem D. commod. I. sed etsi, 18, D. ad leg. Aq. I. 1, §. pen. I. 2, §. 1, De tut. & rat. dist. I. sed aetione, 5, D. pro soc. Nihil autem aduersatur I. ei qui, 9, D. de furt. vbi vindicatio & condicatio eiusdem furti nomine, nisi à iudice prouideatur, competit: partim quia nominatim p̄ceptū tradidimus de duab^o personalibus: partim quia non vnius rei nomine ambæ competit: quo-

niam illa dominij, hæc furti caussa in odium furum conceditur: partim etiam quia Pomponius ait, virtum istud summi iuris iudicis officio correndum esse, quod vsu obtinuisse patet ex l. i, C. de re iud. Cùm igitur hæc ita se habeant, necesse est, hanc regulam propriè ad actiones in rem restringere, nisi fortè agendi initiū, hoc est, formularum coniunctionem spectemus: vt ostendat duas simul intendi actiones non posse: Cuius rei testimonium est in l. i, §. 2, D. qu. legat. l. plura, 53, D. de oblig. & actionib. l. cùm filius, 76, §. 1, De legat. 2. Verùm haud scio, an sati ea sententia dilucidè & commodè his verbis ab Vlpiano concepta sit. Notandum est autem quod addidit, V N I V S R E I N O M I N E . Nā variarum rerum nomine varias simul actiones edi posse cōstat, ex l. si idē, 11, D. de iurisd. l. & hæc distinctio, 35, §. 1, D. locat. l. quod in herede, 9, §. 1, D. de tribut. Itaque cautio adhibenda est in l. interdum, 56, D. de furt. vbi Julianus scribit, interdum cum fure səpius eiusdē rei nomine furti agi posse, veluti si res in domini potestatem rediisset, & idem eandem subripuisset. Ibi enim vnam rem propriè Julianus appellat, & à facto distinguit, cùm in plerisque superioribus rei nomine factum & delictum intelligamus. Nihil autem hoc pertinet l. contra maiores, 16, C. de inoff. test. vbi duplex dicitur aduersus testamētum actio institui, prior, non esse iure perfectū: altera, esse inofficium. nam Actionis verbum eo loco impropriè usurpatur pro intentione,

cùm de iniusto testamento actio nulla sit: sed
 incidens tantùm quæstio esse soleat in heredi-
 tatis bonorūm vñc possessionis petitione. l. i, C.
 de ord.iud. Quantū autē ad personales actio-
 nes attinet , disputatio tripertita est. Aut enim
 omnes rei persecutoriæ sunt , aut omnes pœna-
 les. aut partim rei , partim pœnæ persecutoriæ.
 Cùm omnes rei persecutoriæ sunt, iam suprà di-
 ctū est, omnibus vti licere: nisi fortè omniū ea-
 dē vis & efficiētia sit. Cùm omnes pœnæ perse-
 cutoriæ sunt , tunc aut plura & facta & delicta
 sunt, neq; dubitatur quin singulis factis singulæ
 actiones pœnæq; debeātur, siue vñus ea fecerit,
 (l.interdū, 56, D.de furt.l. illud quæsitū, 32, §.1,
 D. ad leg. Aq.) siue plures deliquerint: tū enim
 plura delicta sunt, & à singulis solidæ pœna de-
 betur.l.itē mela, II, §.2, D.ad leg. Aq.aut verò v-
 num & factum & delictum est: cuius vnius cau-
 sa plures competunt actiones , veluti arborum
 furtim cæsarum . quo casu Vlpianus quidem
 scribit aliam ab alia non consumi. l. pen. D.de
 oblig.& act. (vbi tamen considerandum est, an
 pro D E E A D E M P E C V N I A, legēdum
 sit, D E E O D E M P E C C A T O: quod tamen
 non affirmo) sed Pauli interpretatio adhibenda
 est: iudicis partes fore, vt quo plus sit in reliqua
 actione, id actor ferat: si tantundem, aut minus,
 nihil consequatur. Sic enim legendum esse cō-
 stat in l. quoties, 41, D. eod. Eiusq; rei exemplū
 est in l.i, & l.pen.D.arb. furt. cæs. l. i, D.vi bon.
 rapt.l.i, §.2, D.de public. Itaq; necesse est inter-

pretari l. cùm ex vno, 32, D. de obl. & act. vt o-
mnibus quidem experiri permittatur ipso iure,
sed per exceptionem & iudicem superiores a-
ctiones excludantur: cùm singulis delictis non
plures, sed singulæ tantum pœnæ debeantur. l.
in senatus, 15, §. 1, D. ad Turpil. Itaq; video ver-
bum Consumi expositū in l. item si cum, 14, §.
cum qui, D. quod met. causs. Denique hoc signi-
ficat Vlp. in l. 1, §. pen. D. de tut. & rat. dist. his
verbis, v t Q v i s dicat plures esse actiones e-
iusdem facti. Non igitur Hermogenianus in d.
l. cùm ex viro, 32, opponendus est Paulo in d.l.
pen. De obl. & act. cùm vtrobiq; eōcordissimè
de vno facto & delicto respondeant. Aut vnius
facti plura delicta sunt: veluti si quis seruum sur-
ripuerit, flagellis cæciderit, occiderit. qua de re
variè à Iurisconsultis disputatū, patet ex l. qui ser-
uum, 34, D. de obl. & act. eiūsq; varietatis vereor
ne vestigia extent in l. 2, D. de priuat. delict. l. fa-
ciendæ, 8, §. 1, D. arb. furt. cæs. l. Ncratius, 11, §. 2,
D. de ser. corr. l. si stuprum, 25, D. de iniur. l. inter
liberas, 6, D. de adult. l. seruum, 27, D. ad leg.
Aqu. §. vlt. D. si quadrup. l. 1, §. pen. & l. 2, §. 1, D.
de tut. & rat. dist. l. vulgaris, 21, D. de furt. l. pa-
ter, 41, D. de iniur. vbi singulis delictis singu-
la pœnæ imponuntur: sic, vt altera alteram nō
consumat. quod tamen contrà constitutum vi-
deo, in l. qui seruum, 34, & l. plura, 53, D. de
oblig. & act. l. dominium, 8, C. eod. l. pen. §. vlt.
D. naut. caup. stab. Aut quædam pœnæ, quæ-
dam rei persecutoriæ sunt, quo casu necessaria

distinctio est. nam si pœnalis mera est, neutra consumitur. Itaque furti actio condictionem non impedit. l. si pro fure, 7, §. 1, D. de condict. furt. vt nec depositi actionem, l. si saccum, 28, D. depos. neque locati, l. si locatum, 42, D. locat. neque pro socio. l. rei communis, 45, D. pro soc. Mouet dubitationē. l. si is cui, 71, D. de furt. sed nulla cōtrouersia est (quod etiam vidit Accursius) quin eo loco furti actionis nomine conductio contineatur, vt in l. cūm furti, 9, D. de in lit. iur. quod eodem modo respondendum est ad l. 3, §. vlt. D. naut. caup. stab. vt Furti actionis nomine vtraque comprehendatur, & pœnalis & condictitia. Sinautem mixta pœnalis est, tū alterutra consumitur. Nam & actio rationibus distrahendis condictionem furtiuam tollit. l. 2, §. 1, D. de tut. & rat. dist. itēmque actio vi bonorum raptorum. l. siue manifestus, 10, §. 1, D. de condict. furt. iuncto §. 1, Inst. vi bonorum rapt. item actio de calumniatoribus. l. in heredem, 5, §. 1, D. de calumniator. quod idem puto de actione serui corrupti, in l. Neratius, 11, §. 2. D. de seru. corr. Sic actio quod metus caussa rei vindicationem extinguit, l. metū, 19, §. licet, D. quod met. caus. Sic actio legis Aquiliæ commodati actionem consumit. l. vnde queritur, 7, & l. in rebus, 18, D. commod. consumit & actionem pro socio. l. sed actione, 50, D. pro soc. Sed hēc illam non consumit: nisi quatenus plus in hac quam in illa est. l. qui seruum, 34, in fi. D. de obl. & act. vbi sine dubio legendum est, V E R I V S E S T

REMANERE, quia simulo accedit, & simulo subducto locum habet. Itaque accipiēdam arbitror, l. 2, §. 1, D. de priuat. delict. vt furtiva quidem condicō non consumat legis Aquiliæ actionem: sed hæc illam consumat, si prius instituta sit, quæ regula in omnibus superioribus tenenda est. Et ad huius pœnæ legitimæ instar idem inductum est in pœnas conuentionales. l. prædia, 28. D. de act. empt. l. 4, §. Labeo, De dol. except.



Naturalis interitus rei post moram accidens, utrum ad actorem, an ad reum pertineat.

Q V A E S T I O XXVIII.

V E T V S & ardua quæstio est, Ad quem naturalis interitus rei post morā accidens pertineat: vtrūne ad actorem, an ad reum. Et ne perpetuò Martinos & Ioannes lo quamur, à quibus primū vexata hæc quæstio creditur: dicimus, eam inter Sabinianos & Proculianos iam olim agitatam fuisse, id que in vtroque actionis genere: hoc est, & personalis & realis. Prius autem de personali differendum est. Ac dissensionis quidem illius testimonium extat in l. si plures, 14, §. vlt. D. depos. ybi Caius M. iiiij.

testatur Sabinum & Cassium statuisse , naturalem depositæ rei interitum ad actorem pertinere: id est, cum res apud actorem omnimodo interitura fuerat , quemadmodum apud debitorē sua sponte interiit. Sabino , Cassio & Caio video apertè astipulari Paulum in l. si homo, 8, D. de re iudic.. vbi non de deposito , sed de stipulatu loquens, perspicuè statuit, homine post item contestatam mortuo , debitorem in fructus tantummodo damnandū esse. Planiusque lex illa intelligetur ex coniunctione l. vtique, 16 , D. de rei vindic. quæ eiusdem est auctoris. Et tamen video eundem ipsum auctorem Paulum in l. electio, 26, §. si is quem, D. de nox. act. scribere , dominum qui in accipiendo noxali iudicio moram fecit , homine mortuo nō liberari: si dolo desierit possidere , liberari. quod tamē (si quidem existimationi Pauli cōsulere volumus) non de re principalī, sed de ipsius fructibus, accessione, & causa intelligendum erit. ex d. l. vtiq;, & l. cūm fundus, 31, D. de rebus cred. & l. quæsitū, 91, §. vlt. de leg. i. Atq; hæc quidem de Sabinianorum sententia. nunc de Proculianica videamus. Primum igitur prodeat Pomponius qui in l. si in Asia, 12, §. vlt. D. deposit. generaliter scribit, quod ex stipulatu , ex testamento, ex deposito debetur , si post acceptum iudiciū interierit , debitoris damno interire. quod idem planissimè confirmat in l. quod te, 5, D. de rebus cred. & l. si ex legati, 23, D. de verb. oblig. idem apertissimè tradit Africanus in l. si seruus,

108, §. si seruus legatus, D. de legat. prim. vbi scribit, seruum legatum post moram ab herede cōmissam heredis periculo viuere. Idem quoque Sc̄auola in l. si pupillus, 127, D. de verb. oblig. Et rursus VIopianus in l. nemo, 82, §. i, D. de verb. oblig. vbi ait, promissorem hominis, mortuo post ipsius moram homine, nihilominus teneri. moram autem etiam fecisse videri, qui litigare maluit quām restituere. quod idem confirmat in l. si duo, 16, §. 2, D. de pecun. const. vbi ait, etiamsi per rerum naturam stetit, tamen debitorem qui in mora est, teneri. Itēmque in l. cūm res, 47, §. vlt. d. de legat. prim. Quid? Paulus quānam in sententia est? Cūm filiusfām. inquit, Stichum dari spopōdit, & cūm per eum staret quominus daret, Stichus deceſſit: datur in patrem de peculio a ctio, quatenus maneret filius ex stipulatu obligatus. l. cūm filius, 49, D. de verb. obl. Non igitur omnimodo teneri filium affirmat, sed quadam tenus dun taxat. quod ego propter Pauli existimationem, & ne pugnantia loqui videatur, interpretor de cauffa, a ccessione, & fructibus: non autem de homine ipso. iuxta d. l. si homo, & d. l. vbi que. Sequitur vt de in rem actionibus videamus, in quibus Proculianorum hæc fuit sententia, vt naturalis rei interitus post litem contestatam ad possessorem pertineret. Cassianorū contrā, vt ad actorem l. illud quoq; , 40, D. de hered. pe tit. vbi Paulus tanquam arbiter honorarius ita controuersiam illam dirimit, vt Sabinianorum

sententia in bonæ fidei possessore, Proculianorum, in prædone locum habeat. Et hanc rationem subiungit. ne bonæ fidei possessor, propter metū huius periculi, temerè indefensum ius suū relinquat. huiuscē Pauli sententiæ alibi quoque testimonium extat, hoc est, in l. vtique, 16, D. de rei vindic. vbi ait, possessorem interempta re de fructibus tamen & partibus teneri. non enim post litem contestatam vtique & fatum præstare debere. Quod cùm ita sit, consentaneum est, alterum Pauli locum hoc eodem modo interpretari in l. de eo, 12, §. si post, D. ad exhib. vbi ait, possessorem interdum damnandum esse in id quod actoris intereſt. præfertim autem si apud actorem peritura res non fuerat. vt si bonæ fidei possessor fuerit, liberetur: sin malæ, condēnetur. Contrà verò Vlpianus in l. item si, 15, §. 1, D. de rei vindic. istam Sabinianorum & Proculianorum dissensionem significans, Si seruus, inquit, petitus demortuus sit, pretiū non esse præstandum plerique aiunt (hoc est, Sabiniani) sed est verius, si fortè distracturus erat petitor, si accepisset, moram passo debere præstari. nam si ei restituisset, distractus, & pretium esset lucratus. Atque hæc quidem ita se habēt, extra quām in duobus casibus, hoc est in furto, & violenta possessione. nam his casibus omnium consensu receptum fuit, vt rei interitus semper ad moratorem pertineret. Itaque interpretor quod ait Vlpianus in l. inter omnes, 46, dc furt. Inter omnes constat, etiam si extincta sit res furtiva,

attamen furti manere actionem: id est, inter Sabinianos & Proculianos. De vi autem idem testatur in l.i, §. rectissimè, D. vnde vi & de vi arm. & Julianus ac Tryphoninus in l. merito, 19, d. eod. Neque obstat l. item si, 14, §. quid si homo, D. quod met. causs. quoniam ibi agitur de tempore ad iudicatum faciendū permisso: quo tempore moram non committi constat. Vnde ex cōtrario ratiocinari licet, interitū rei qui ante rē iudicatam evenit, ad ipsum pertinere. Hæc cūm ita in libris nostris essent tradita, exorta est inter Martinum & Ioannem disputatio, An interitū rei post moram accidente debitor libetur. Nam Martinus distinguendum esse aiebat inter naturalem, & eum qui debitoris culpa evenisset: vt naturali liberaretur: alterum præstare deberet. Ioannes contrā indistinctè omnem interitum periculo debitoris esse. Ioannis sententiam Bartholus innumerabilēsq; alij sequuti sunt. hac vna de caussa, quia fur & morator æquiparantur in l. inter stipulantem, 83, §. pen. D. de verb. oblig. Sed non si vna aliqua in re comparantur, iccirco in omnibus comparādi sunt. Præterea tantum abest, vt omnis morator fur sit, vt ne malæ quidem fidei possessor omnimodo fur esse intelligatur. Nam fur est, qui inuito domino rem alienam lucri faciendi caussa contrectat. At malæ fidei possessor rem quam alienam esse scit, occupare potest, non tamen interuertendi animo. Quoniam igitur verum est, eū qui litigare quā m restituere maluit, moram

committere, d.l. nemo, §. 1, D. de verb. oblig. absurdum videtur, hanc quæstionem ab illa superiori separare. præsertim cùm in plerisque eorum locorum quos superius commemorauimus, non præcisè de lite contestata, sed infinitè de mora & moratoribus agatur. Quòd si remotis Iurisconsultorum disputationibus ipsam rei æquitatem spectare volumus, non absurdè fortasse ita definiemus: vt non omnem moratrem eodem loço habeamus: sed eum qui bona fide cunctatur, ab eo qui frustrator est distinguamus. Cunctatorem dicimus, qui iustā se recusandi caussam habere putat: Frustratorem, qui mala fide recusat. l. sciendum, 21, & l. seq. D. de usur. Illum naturali rei interitu liberari, siue statim actor eam venditurus erat, siue non: hunc verò, non liberari. & hanc suæ malæ fidei ac frustrationis pœnam esse oportere, siue statim actor eam venditurus fuerat, siue non.

An pendente iudicio petitorio, agi possefforio liæat.

Q V A E S T I O X X I X .

PE R V V L G A T A quæſtio eſt, An qui vindicare rem cœpit, mutato consilio agere interdicto Vti poſſidetis poſſit: de qua tractatur ab Vlp.in l.naturaliter, 12, ſ. 1, D.de acq.poſſi. Dubitandi autem cauſſa ex eo intelligitur, quod finis vindicationis, eſt Restitutio: interdicti autē, Retentio.vnde Retinendæ poſſessionis interdictum appellatur in l.i, ſ.3, D.vti poſſid.quare pugnātia postulare videtur, qui rem ſibi reſtitui, & eandem ſibi ſeruari poſtulat. Finem autem vindicationis eſſe reſtitutionem, vetus ipsius formula declarat, Si pateret fundum Capenatem P. Seruiliū eſſe, neque eum Mæuius reſtituat, tum Mæuius quāti ea res e-rit dāmnetur. Cuius formulæ testimonium extat in Vert.1111. & in l.prætcrea, 20,l. qui reſtituere, 68, D.de rei vindic. Hinc coſtitutum eſt, primū vt is qui deſtinauit rem petere, animaduertere debeat, an aliquo interdicto poſſeſſionem nancisci poſſit. l. is qui deſtinauit, 24, D.eod. Nam poſſeſſio nō vindicatione, ſed interdicto petitur.l.3, ſ. eſt autem, & ſ. ſi mecum, & ſ. ſeq. D. ad exhib. item ut litigatores ipsi inter ſe placide ſtatuant, vter illorum poſſeſſor ſit.l.1,

§. inter, D. vti poss. Denique vt in vindicatione instituenda prius interrogare reum liceat, an possideat. l. qui petitorio, 36, eod. & l. 1, §. 1, D. de interr. vt si neget, actor ad se possessionem transferat, quanuis suam esse rem non probauerit. l. vlt. D. de rei vind. Hinc illud est quod scribitur in l. inter litigantes, 62, D. de iud. & §. retinendæ, De interd. petitoriam actionem institui nō posse, nisi antè exploratum fuerit, utrius litigatoris possessio sit. quia & ciuilis & naturalis ratio facit, vt alius possideat, & alius à possidente petat: deinde in l. actionum. 25, D. de obl. & act. In rem actionem esse, per quam rem nostram, quæ ab alio possidetur, petimus, & semper aduersus eum esse, qui rem possidet. Item in l. 1, §. interdictum, D. vti poss. actionem nūquā ulli possessori dari. ei nanque sufficere quod possideat: postremò in l. officium, 9, D. de rei vind. officium iudicis in ea actione esse, vt inspiciat an reus possideat: quasi si actor possideret, iudicium omitti oporteret. quò eodem pertinet l. 1, C. vbi in rē act. & l. exitus, 55, D. de acq poss. Quæ cùm ita sint, repugnare hæc videntur, fateri aduersarium possidere, & nihilominus petere, vt sibi possessio seruetur: non videri possessioni renūtiare, qui rem vindicauit. Quid enim per rei vindicationem restituitur? nō certè proprietas, quam actor suam esse intendit, sed possessio. id que non ex actionis formula, sed ex iudicis officio. l. qui restituere, D. de rei vind. ex quo intelligi potest, per rei vindicationē aliud

peti, aliud restitui. nam petitur tantum ut sua res esse pronuntietur: possessio non petitur. neque enim vindicari possessio potest. d. l. 3, D. ad exhib. sed tamen restituitur. Ad hanc quæstionem quod alij attulerunt, vidi: quod mihi dubitationem adimeret, nondum vidi: vereorque (ut ingenuè fatear) ne plerunque in iis qui consultò inter se dissentient conciliandis, nimium ingeniosi esse velimus. Cui enim obscura esse potest Proculianorum & Sabinianorum contentio, an eiusdem rei duo possessores esse possint? cum hi affirmarent, vnum naturaliter, alterum ciuiliter: vnum iustè, alterum iniustè possidere posse. illi verò negarent. l. 3, §. ex contrario, D. de acq. poss. l. 2, D. ut poss. l. & habet. 15, §. 4, D. de precar. Qua ex contentione altera illa inter eosdem nata est. An etiam aduersus depositarium & commodatarium & similes vindicatione agi possit. l. officium, 9, D. de rei vind. vbi Vlpian. Sabinianos sequutus, affirmat agi posse: cum id Pegasus negaret. In eademque sententia Papinianum esse video, qui in l. cum fundū, 18, §. 1, D. vnd. vi, scribit, cum qui fundum vindicavit, pendente iudicio, nihilominus interdicto vnde vi agere posse. Sed alia in contrariam partem iuris ratio est. Nam Paulus, (quem ab Vlp. hac in re, item ut in plerisque aliis, dissenseret arbitror) affirmat eum qui interdicto agere de possessione cœpit, postea in rem agere nihilominus posse: quoniam in interdicto possessio, in actione proprietas vertitur. l. & an-

eadem, 14, §.1, D.de except.rei iud. Eiusque rei
ratio perspicua est. Non enim qui possessionem
petit, cōtinuò proprietati renūtiat. Vnde illud
Quintil.lib.7, cap.5, Ut in sponſionibus, inquit,
quæ ex interdictis fiunt, etiamſi non proprietati
est quæſtio, ſed tantum possessionis: tamen
non ſolum poffidere nos, ſed etiam noſtrū poſ-
ſediffe docere oportebit. At ex cōtrario (ſi qui-
dem ex Proculianorum ſentētia conſtituamus,
duos eiusdem rei poffeffores eſſe non poſſe) diſ-
ſicile diētu eſt, non eum qui rem vindicat poſ-
ſioni renuntiaſſe: fieri, inquam, non potest,
vt ei poſſessionem Iudeſ rēſtitui iubeat, qui cā
habebat: niſi ex Cassij, Sabini, Papiniani, & Vi-
piani ſententia dicamus, alium naturaliter, a-
lium ciuiliter, alium iniuſtē, alium iuſtē poſſi-
dere. quam ſolam huius ſoluēdæ quæſtionis ra-
tioneti eſſe arbitror. quāquam ad illum Quin-
tilianī locum illud prætermittendum non eſt,
ſed diligenter obſeruandum, non eſſe veriſimi-
le ante Constantini legem, proprietatis & poſ-
ſioni cauſam vno eodēmque iudicio diſce-
ptatam fuifſe, l>nulli prorsus, 20, C.de iud. cūm
neque eadem res, neque eadem cauſa fit: & Iu-
dex alia de re quā de qua poſtulatus fuifſet,
cognoscere non poſſet. l. vt fundus, 18, D. com-
diu. Supereſt quæſtio perdiſſicilis, In petitione
poſſioni quā vi erēptæ, vtrum prius de vi,
an de poſſione quāri oporteat. Nā, ſi quidē
ciuiliter agatur, de vtraque vno & eodem iudi-
cio transigitur: quoniam eadem & res & cauſa
eſt: fin-

est: finautem criminaliter, difficile dictu est, nō
pugnare inter se l.i, C. de appell. l. si quis, 7, C.
ad leg. Iul. de vi pub. quæ prius de possessione
quam de crimine cognosci statuit, & l.5, s.1, D.
ad leg. Iul. de vi pub. & l. si de vi, 37, D. de iud.
quæ prius de crimine quæri & iudicium fieri san-
xerunt.



An totius & partium idem ius sit, quod uniuersi-
tatis & rerum singularum: aut quibus inter
se rebus differant.

QVÆSTIO XXX.

MVLTI S quidem in rebus To-
tū & Vniuersitas ita conueniunt;
vt paria & penè gemina videan-
tur. Nam primū omnium, vt To-
tum conficitur ex partibus com-
pactis: veluti nauis ex puppi, prora, & carina;
domus, ex fundamento, parietibus & tecto: sic
Vniuersitas ex rebus singulis inter se coiunctis:
vt populus ex hominibus, grex ex ouibus, armē-
tum ex bubus. I. rerum mixtura, 30, D. de usur-
pat. Secundò, vt partes continentur Toto, l. in
toto, 113, D. de reg. iur. sic res singulæ Vniuersor;
veluti instrumento fundi, quæcunq; ad eum in-
struendū pertinet. l. quæsitū, 12, s. sed si fundus,
D. de instr. vel inst. leg. quod Arnobius lib. adu-

Gent. 2. sic explicat, In Toto pars est, non Totum in parte: & Vniuersitas debet attrahere portiones, non portionibus Vniuersitas applicari. eodēmque pertinet l. si vnuſ, 27, §. item si, D. de paet. Tertiō, vt Totius interitu partes subtili ratione nō intereunt, teste Aristot. Top. 6, sic Vniuersitate perempta singulæ res non perimuntur. l. 4, §. pen. D. de pecul. vbi peculio propter pecuniam domino debitam exhausto, res tamē singulæ peculiares manent, vt ad sup plendum peculium noua concessione opus nō sit. Quarto, sicut partibus sublatiſ Totum interit, teste Aristotele, eod. lib. Top. 6, ita rebus singulis peremptis Vniuersitas extinguitur: ve luti grex, aut armentum peremptis capitibus. l. si grege, 22, D. de legat. i. Quintō, vt Totum est vnuſ, sic Vniuersitas est vnum. Itaq; si supellex, aut grex, aut armentum, aut vestis, aut peculiū, aut instrumentum legatum sit, vnum legatum est. l. scire debemus, 29, D. de verb. oblig. ideōq; vt cui Totum legatum est, partem agnoscere, partem repudiare non potest, l. 4, D. de legat. 2. sic cui Vniuersitas legata est, quasdam res accipere, quasdam reiicere non potest. l. 2, & l. gre ge, 6, D. de legat. 2. Quinetiā Vniuersitas hominum vnius personæ vicem sustinet. l. mortuo, 22, De fideic. Et si chorus aut familia legetur, perinde est quasi singuli homines legati essent. l. si chorus, 79, D. de leg. 3. & qui carucam vel lecticam commodauit, non rectè singulas res commodati actione repetet. l. in commodato,

17, §. pen. D. commod. Sexto ut pars Toti derogat, sic res singularis Vniuersitati. Quod Iuris-
 consulti sic enuntiant, In toto iure generi per
 specie derogatur. l. 80, De reg. iur. veluti, si cum
 Titio penum omne legatum esset, Mæuio post-
 ea vinum legetur, Mæuio vinum debebitur. l. 2,
 D. de trit. vin. & ol. Item sicut peculium legatum
 est, dein vicarius liber esse iussus, vel alteri lega-
 tus est, singulare legatum vniuersali detrahet. l.
 si peculium, 10, D. de manum. test. & si cui in-
 strumentum omne, post alteri mancipiū quod-
 dam eiusdem instrumenti legatum est, poste-
 rius legatum de vniuersali deminuet. l. legatum,
 24, §. i, D. de adim. leg. Septimò, sicut pactum &
 res iudicata de Toto, ad cius omnes partes: sic
 de Vniuersitate, ad res ipsius singulas pertinet.
 l. si unus, 27, §. item si pactus, D. de pact. l. si quis,
 7, in princ. & §. vlt. & l. si cum argentum, 21, §. i,
 D. de except. rei iud. Octauò, sicut particulari
 mutatione singularum partiū Totum tamē nō
 mutatur, sed idē manet: sic etiam Vniuersitas.
 l. proponebatur, 76, D. de iudie. l. qui res suas
 98, §. vlt. D. de solut. l. inter stipulantem, 83, §.
 sacram, De verb. obl. Ex contrario tamen ani-
 maduertere possumus, eadē inter se longissi-
 mè multis in rebus discrepare. Nam primū o-
 mnium Totum de tribus corporum generibus
 usurpatur, de quibus in l. rerum mixtura, 30, D.
 de usurp. hoc est, de eo quod continuum est, ut
 homo, tignum, lapis, de eo quod ex coharen-
 tibus partibus constat, ut ædificium, nauis, ta-

berna: & de eo quod ex distantibus constat, ut
populus, legio, grex. Vniuersitas autem de du-
bus posterioribus duntaxat usurpatur. interdū
ita, ut Totum concretum dupliciter confide-
retur: nimirum tanquam Totum, & tanquam
Vniuersitas. nam in naui, & tabulæ singulæ, qui-
bus constat, & res quæ in ea insunt, spectantur,
& in taberna, trabes, & tabulæ: (ut cum taberna
vendi dicitur. l. qui tabernam, 32, D. de contr.
empt.) itemque ut merces: veluti cum taberna
oppignerari dicitur, in l. cum tabernam, 34, D.
de pign. Quinetiam abusus in his vocabulis no-
tandus atque obseruandus est. Nam & Tota he-
reditas sæpen numero dicitur, quæ rectius vniuer-
sa diceretur. l. D. de acq. her. l. quidam, 20, C.
de iur. delib. & societas totorum bonorum, in
l. si vnuis, 67, §. l, D. pro soc. quæ rectius vniuer-
forum, aut omnium dicitur in l. 5, & l. cum duo-
bus, 52, §. pen. & l. verum est, 63. D. eod. Vicissim
que vniuersitas fundi dicitur in l. 2, §. cum Sti-
chum, D. pro empt. cum verius Tonus fundus
diceretur, ut l. 3. in pr. D. de acq. poss. & quod il-
la Vniuersitas fundi partibꝫ opponitur, rectius
hic Vniuerso fundo, singulæ glebæ, Toti verò,
partes ipsæ opponuntur. Idemque licet animad-
uertere in l. si seruus, 82, D. de acq. her. vbi quod
ius est in Vniuerso, idem in portione esse dici-
tur, pro, Quod ius est in Toto, ut posterius di-
cemus. Quinetiam Vniuersum pro Toto, inter-
dum pro Genere veteres abusuè & impropriè
dixerunt, itemque Partem pro Specie. Cicero

in Bruto , Nisi eam præterea didicisset artem ,
quæ docet rem vniuersam tribuere in partes . Et
in Oratore , Latius enim de genere quām de
parte disceptare licet , vt quod in vniuerso sit
probatum , id in parte sit probari necesse . Secū-
da differentia est , quod Totum rationem ha-
bet cum partibus , hoc est , refertur ad partes : V-
niuersum ad res singulas , atque iis opponitur ,
adeo ut vna eadēmque in re (quemadmodum
paulo antè posuimus) & Totum & Vniuersitas
diuerso respectu considerentur . veluti , multis
locis negatur apud Iuris c. lapides , cæmentum ,
calcem , tigna , columnas , fenestras ædificij par-
tes esse , vt l . & per iuriurandum , 13 , § . illud , D . de
accept . itēmq ; tabulas esse partes nauis . l . naue ,
36 , D . de euict . hac nimirum de caussa , quoniam
Iurisconsulti res istas singulas appellant , quas
non ad Totum , sed ad Vniuersitatem referunt .
l . adeò , 7 , § . in suo , D . de acq . rer . dom . l . eum qui ,
23 , D . de usurp . l . si quis , 7 , § . l . D . de exc . rei iud .
Nam in libris nostris Vniuersitas & Singulæ res
inter se opponuntur . veluti hereditas , & res sin-
gulæ quæ in ea continentur . l . l . D . de rei vind . l .
liberorum , 208 , D . de verb . signif . nauis & ædifi-
cium , résque singulæ ex quibus constant . in l . si
vnus , 27 , § . item sū , D . de pact . & vniuersitas mu-
nicipij , & singuli municipes . l . l . & pass . D . qui cu-
ius vniu . & vniuersitas bonorum , & res singulæ .
l . l . D . de interd . & l . l . D . quor . bon . & vniuersi-
tas armarij , & singulæ res quæ in eo continētur .
l . qui vniuersas , 30 , D . de acq . poss . Et in hanc

sententiam in Quæst. i, dicebamus, Vniuersa Regis esse singula verò priuatorum. Contrà autem nulla res hereditaria pars hereditatis numeratur. I. quanuis, 14, D. siq. om. cauiss. adeo ut nec legatum hereditatis pars sit. I. qui fundum, 83, §. 3, D. ad leg. Falc. nulla res peculiaris pars peculij sit. I. 4, §. si ære, D. de pecul. I. I, §. 2, D. de tributar. nulla res dotalis pars dotis dicatur. I. in fi. princ. D. de dot. releg. & I. quod dicitur, 5, D. de imp. in res dot. Quæ cùm ita sint, difficile dictu est, verum videri quod à nonnullis scribitur, Totius partes esse integrales: quales sunt in domo, fundamentum, parietes, tectum. Vniuersitatis autem esse quotas, id est, quæ sine subjecti interitu esse possunt: cùm verius ac certius has Intellectas esse dicere mus, illas Naturales: siue, vt Iurisc. loquuntur, has pro diuiso, illas pro indiuiso. Nam Quotas partes esse volunt, quibus per numerum respondetur, veluti dimidias, quartas, aut tertias. I. cùm quæstio, 23, D. de legat. quæ tamen aliæ non sunt ab visitatis assis partibus: vti constat ex I. 2, §. si duo, D. de col. bon. Vniuersitati enim (vt iam antè dictum est) partes nō opponuntur, sed res singulæ. Tertia differentia est, quod partes in Toto agunt, & quasi quodammodo (vt animalis) membra sunt. Nam (vt ait Aristot. Polit. I, & lib. Meteor. 4,) hæ demum verè propriæque partes sunt, quæ suo munere funguntur. *ταῦτα ταῦτα ἐργάζεται καὶ τὰ διωκεται.* Itaque manus à corpore separata, nihil magis pars est corporis quam manus lignea, aut lapidea, nisi *μαρτυρίς*: id est, communione

nominis. vt l. si statuā , 14, De aur. & argen. leg.
Nam tectum propriè dicitur, quod tegit: & ro-
ta quæ voluitur, & in nauī membra dicuntur,
quibus nauigatio iuuatur, vt puppis, prora, ca-
rina, malus, velum, gubernaculum. l. scapham,
44, D. de euict. l. malum, 242, D. de verb. sign.
At res singulæ in Vniuerso nihil agunt: id est,
nō efficiunt vt res sit id quod est, vel magis vel
minus. l. quæque, 13. D. de pignorib. vnde nata
apud Dialecticos disputatio de Sorite, quæ a-
ccrualis Latinè dicitur. Sic quadrigæ partes sunt
equi singuli. nam singuli valent ad quadrigam
efficiendam. Itaque quadrigæ legatum, uno e-
quo mortuo, extinguitur. at equorum vniuersi-
tate legata, quandiu quilibet vnu supererit, le-
gatum debet bitur: quoniam non singuli ad vni-
uersitatē efficiendam valent. sed cuncti, omnes,
vniuersi: quemadmodum mox docebimus. Si-
militer onera quædam in nauim imposta, vel
non imposta, aut merces in armarium imposi-
tæ vel nō imposta, non efficiunt vt magis na-
uis aut armarium vel sit, vel non sit. Quarta dif-
ferentia est, quòd Totum finitum est, hoc est,
neque accretionem neque decretionem reci-
pit. Nam (vt ait Aristot. de Natur. 3.) Totum &
Perfectum idem sunt: quoniam vtrunque defi-
nitur, id cui nulla pars deest. Vniuersitas autem
indefinita est. adiectionē enim & detractionem
recipit, vt de peculio dicitur, quod crescit &
decrescit. l. peculium, II. D. de pecul. itēque de
familia in l. peculium, 65, D. de leg. 2, & de here-

ditate , quæ augmentum recipit , & diminutio-
nem . I. item vniuent , 20, §. item non solum , D.
de her. pet. Item de grege , in I. si cùm argen-
tum , 21, §. I. D. de exc. rei iud. Itaque Totum ple-
runque partē yna detracta perimitur : veluti , in
quadriga , vbi uno equo sublato quadriga in-
terire dicitur , quia quadriga esse definit . At si
Vniuersitatem singulorum equorum spectauit
testator , aliud iuris est . nam uno detracto reli-
qui debebuntur . I. quid tamen , 10, in fi. D. quib.
mod. y suff. amitt. I. peculium , 65, §. I. D. de legat.
2. quod eodem modo de fundi instrumento iu-
dicandum putarem , propter I. quæ situm , 12, §. si
quis eodem , 10, D. de inst. vel instr. vbi pro par-
te diuidi instrumentum posse negatur . Quinta
differentia est , quod Totum & partes eiusdem
generis sunt . Nam si partes sunt corporales , e-
tiam Totū corporale est : si partes mobiles , aut
immobiles , etiā Totum mobile , aut immobile .
veluti fundi , aut gregis , aut armenti , aut equi-
tij . Vniuersitas autem semper incorporalis est ,
& nomen iuris : etiam si res omnes corporales
sint , aut partim corporales , partim incorpo-
rales , veluti hereditas , aut peculium , aut dōs , in
quibus utriusque generis res continentur . I. I. D.
de rer. diu . Sic res singulæ mobiles esse possunt ,
cùm Vniuersitas erit immobilis : yt de ædificio
luculenter disputatur in I. eum qui , 23, D. de v-
sūrp. vbi emptor ædium nō res singulas , ex qui-
bus ædificium constat , & quæ mobiles sunt , sed
Vniuersitatem ipsam quæ immobilis est , possi-

dere dicitur: indeque sublato ædificio præteri-
tum tempus quod ad ædium vſucaptionem va-
luit, ad rerum singularum, quæ mobiles sunt, v-
ſucaptionem non prodest: quoniam una eadém-
que res simul ut & mobilis & immobilis possi-
deri non potest. Sexta differentia est, quod To-
tum quoniam partes habet, diuidum est, siue
partes fiant pro diuīſo, siue pro in diuīſo. l. recte
dicimus, 25, De verb. sig. Vniuersitas autē, quia
partes non habet, diuīſionem non recipit. l. i,
D. de acq. her. vbi qui vniuersam hereditatem
acquirere potest, is pro parte eam ſcindendo
acquirere non potest. & qui partem hereditatis
adit, vniuersam hereditatē adire intelligitur!,
quidam, 20, C. de iur. delib. l. interdū, 13, §. i. D.
de her. inst. & in vnicam rem institutus, in totū
institutus intelligitur. l. i, §. si fundo, & l. si ex fa-
cto, 3, D. eod. Septima differentia est, quoniam
regulariter quod ius est in Toto, quoad totū,
idem iuris est in parte, quoad partem. vulg. l.
quæ de tota, D. de rei vind. l. 3, D. pro derel. l. in
ratione, 30, §. rursus, D. ad l. Fal. l. si duo, 51, in fi.
D. de admin. tut. At nō quod iuris est in Vniuer-
ſo, idem in rebus singulis ius est. non enim qui
vniuersam domum, aut nauem, aut armarium
possidet, in circa singulas res quæ in iis sunt po-
ſidet. l. qui vniuersas. 30, D. de acq. poss. non qui
vniuersitatem ædificij vſucapit, continuo singu-
las res, ex quibus constabat, vſucepisse intelli-
gitur. l. adeo, 7, §. illud recte, D. de acq. rer. dom.
& d. l. eum qui, 23, D. de vſurp. Similiter qui gre-

gem vsucepit, non continuò singulas oues vsucepit. l. rerum mixtura, 30, §. vlt. D. de usurp. Nō si qua res Vniuersitatis est, iccirco, singulorum est, vt theatrum, stadium, campus Martius: non si seruus ciuitatis communis est, iccirco singulorum pro parte seruus est, sed Vniuersitatis: non si quis ab Vniuersitate manumissus est, iccirco singulorum libertus est, sed Vniuersitatis. Qua de cauſa Vniuersitatem sine venia in ius vocare non poterit, singulos poterit. l. in tantū, 6, §. 1, D. de rer. diu. l. sed si, 10, §. 1, D. de in ius voc. non si quis nauem, aut domum vendidit, iccirco singulas tabulas, vel singulos lapides vē didit. qua de cauſa nec euictionis nomine tenebitur, si qua res euicta sit. l. naue, 36, D. de euict. non si quid Vniuersitati debetur, singulis debetur: nec quod debet Vniuersitas, singuli debent. l. sicut, 7, §. 1, D. quod cui. vniu. nō si actor ab Vniuersitate constitutus est, iccirco singulorum actor est, sed Reipub. duntaxat. l. 2, D. eod. vicissimque non si quid singulatim ac separatim alienari non potest: iccirco vniuersē alienari non potest: vt fundus dotalis, & res cuius commercium aliquis non habet, quæ tamē cum hereditatis vniuersitate transfertur. l. quædam, 62, D. de acq. rer. dom. non si res singulæ hereditariæ vsucapi possunt, iccirco hereditas vsucapi potest (quam ineptam Iurisconsultorum argutiam Seneca minus considerè nominabat, lib. de benef. 5.) nam illæ corporales sunt, hæc incorporalis est, in quod ge-

nus vscapio non cadit. l. seruitutes, 14, D. de seruit. Ex quibus ita disputatis perspicuum est, inter Totum & partes iuris analogiam & proportionem esse: inter Vniuersitatem & res singulas, nullā esse: cautionēmque adhibendam, ut ad id quod Totum est, partes: ad id quod Vniuersum est, res singulæ referantur, suūmque singulis ius attribuatur.



Re à pluribus furto sublata, quam tollere singuli non potuissent, utrum uniuersitatum, an uero singuli furti teneantur.

Q V A E S T I O X X X I .

HAEC quæstio superiori finitima est, præcipueque ex eo capite dependet, quo diximus, Totum aliud esse continuum, aliud concretū, aliud deiunctū. Totum autem concretum dupliciter considerari, nimirum vt Totum & partes: itēmque vt Vniuersum & res singulas. postremò Totum deiunctū, verè proprięq; Vniuersum dici. l. rerum mixtura, 30, D. de usurp. Quare in quæstione proposita plurimi interest, quo ex trium illorum generē res ea sit, quæ furto sublata dicatur. nostri quidem de trabe exempla ediderunt in l. ita vulneratus, 51, in fi. D. ad leg. Aquil. & l. vulgaris, 31, §. vlt. D. de furt. vbi fatentur, si differendi subtin-

litati locus relinquatur, fore ut neque vniuersi,
neque singuli teneantur. aut enim totius trabis
singuli fures sunt, aut partis. Totius non esse,
definitio demonstrat: furtum enim contrecta-
tio est, neque sine contrectatione committi di-
citur in l.i, & l.siquis, 52, §. neque, D.de furt. Ve-
rum est autem, neminem vnum illam trabem
sustulisse: ait Julianus in d. l. ita vulneratus, sed
totius rei vniuersos furtum fecisse, vt ait Vlpia-
nus d.l.yulgaris. Rursus pro parte furtum singu-
li non fecerunt, vt eodem loco scribitur. quia
trabs integra & indiuisa est. Restat vt omnes
siue vniuersi, simul furti teneantur. veluti si qua-
tuor trabem sustulerunt, vt pro vna trabe qua-
drupli nomine quatuor trabes soluant. Sed re-
fragatur Regula iuris, vt Quot delinquentium
personæ sunt, tot delicta numerentur: & Quæ
pœna delictis imposita est, si plures delique-
runt, vt à singulis solidâ præstetur. l.si familia, 9,
D. de jurisdic. & l. si plures, 34, D. de iniur. vbi
quot serui iniuria aliquem afficerunt, aut da-
mnum dederunt, tot iniuriæ. tot damna nume-
rantur, totidemque pœnæ deberi dicuntur. ne-
que vnius solutio alterum eiusdem delicti so-
cium liberat. qua de causa plures eiusdem rei
fures, in solidum singuli obligantur: neque pœ-
na ab uno præstita alios liberat. l.i, C.de cond.
furt. nam quod à pluribus fit pro indiuiso, sin-
gulos in solidum obligat. l.semper, 15, §. 2, D.
quod vi aut clam. sublataque illa Quintiliani
questio est lib.7, cap.5, Cùm duo fures pecuniā

abstulerūt, separatim quadruplum quisque an duplum debeat. similitēq; si serui plures album Prætoris corruperint, non sufficit, D. aureos pœnæ nomine pro vniuersis simul soluere, sed necesse est pro singulis quingenos inferre. In quā sententiam responsum est, cùm plures domini seruum communem in sua potestate esse mentiti sunt, vnumquenque illorum in solidum teneri. l. si seruum, 17, D. de interrog. Neque obstat. l. 1, in fin. l. 2, & l. 3, D. de his qui effud. nam ibi non plures, sed vnum tantum, iisque incognitus effudisse proponebatur. Eiusque iuris æquitas exponitur hac regula in l. 4, D. de verb. oblig. Quod in partes diuidi non potest, ab omnibus quodammodo factum videtur. Denique huius rei euidentis argumentū est in edicto Prætorio, Si familia furtum fecisse dicatur, vbi constitutum est, vt si plures serui furtum fecerunt, liceat domino tantum offerre, quantum si liber vnum furtum fecisset: singulari de caussa: videlicet, ne domini patrimonii euertatur, si omnes dedere cogeretur. l. 1, D. si fam. furt. fec. l. illud, 32, D. ad leg. Aquil. Quare cùm à pluribus vel liberis, vel plurium dominorum seruis, furtum factum est, aut iniuria, plura facta numerātur: tot denique pœnæ exiguntur, quot delinquentium personæ fuerunt. vbi verò vnius familia est, clementiæ & benignitatis caussa illo singulari casu singulare ius cōstitutum est. Quæ cùm ita se habeant, Julianus & Vlpianus in illa de furto trahis quæstione concludunt, tot esse furtū facta,

quot personæ delinquentium fuerunt, & à singulis pœnam exigi.ac proinde, si quatuor trabem sustulerunt,in furto manifesto,x vi trabes domino pœnæ nomine præstandas esse. Quod verò contrà ex definitione disputatum fuerat, Julianus diserte scribit,etsi vbi res ad viuum resecanda, & ad exactum iudicium reuocanda esset,verum illud esse videretur, tamē casus quosdam esse in ciuili iure, quibus subtili Dialecticæ rationi vtilitatis & vitæ communis ratio præponderat: atque inter illos casus hunc exempli loco profert. Quo loco non prætermittendum arbitror quod textus in d.l.9, de Iurisdicç. aper- tè pugnare videtur cum d.l. illud, ad leg. Aquil. Nam in illa eadem damni culpa dati ratio esse dicitur, quæ iniuriarum.in hac, ex contrario, eadē quæ furti à familia facti. quod idē Vlpianus perspicuè affirmat in d.l.1,§. 2, D. si famil. furt. fec. Cuius manifestè & dilucidæ repugnantia si conciliationem aliquam queramus, videamus ne veterum existimationis quàm nostræ studio-fiores simus. Quid enim potuit Caius dilucidi exprimere, vt controversiam ea de re inter Iurisconsultos fuisse ostenderet, quàm cùm ita loquutus est, ILLVD QVAE SIT VM EST, & mox, SED MAGIS VISVM EST. Illam ergo Paulus sententiam sequutus est, hanc Vlpianus & Caius. Verùm vt ad institutam disputationem redeamus, deinceps aliis quoque de rebus eadem quæstio proponenda est: veluti de armario, in quo erit, verbi gratia, mundus mu-

liebris : aut de cista , in qua multa pretiosa ine-
runt, aut dolio vini, aut modio frumenti, quem
cum unus tollere non posset , plures sustulerunt
an eadem iuris ratio sit , quæ superius de trabe
vel tigno exposita est. Nam si quis dicat, in pari
caussa parem iuris rationem constituendam es-
se, l. vlt. C. ad leg. Falcid. pugnare contraria vide-
bitur, quod non eadem harum rerum, que tigni
aut trabis ratio & caussa est. Nam tignum (vt su-
perius dictum est) totum est continuum: quo in
genere sunt marmor, statua, signum illud immo-
ne Herculis Agrigentini, Verr. v, quod multi sub-
iectis vectibus moliebantur labefactare , neque
tamen illud villa labahat ex parte: de quibus idem
iuris esse, quod de trabe superius diximus, dubi-
tari non potest : quoniam ex Totius primo ge-
nere sunt , quod & continuum, & indiuisum est:
neque pro parte sublatum dici potest. Armatiū
autem, aut cista, aut capsula, sine dubio postremi
generis sunt, ac planè segetis similia: de qua VI-
pianus statuit, vt in tantum furti agiliceat , quā-
tum sublatum erit. Item eadem l. §. penult. vt
qui maioris ponderis quid aperuit, quod tolle-
re non possit, earum tantum rerum nomine te-
neri furti, quas abstulerit: itemque in l. verum est,
25, eod. ubi qui è lapidicina lapides , vel ex are-
naria arenam furatus est, eatenus tantum furti
actione tenetur, eatenus furatus conuincitur.
Ex quo concludendum arbitrarer, si quatuor
segetem secuerunt, aut arcam , armariumve su-
stulerunt , nō à singulis poenam in solidum exi-

gendarum, sed ab vniuersis duntaxat: quasi partē tantū quisque suam sustulerit, & quod in partes, vel potius res singulas diuidi potest, non à singulis in solidum commissum videatur. arg. d. l. 4, De verb. oblig. quod eodem modo etiam de fundi instrumento statuendum arbitrarer: quod, si tanquam Totum spectemus, parte sublata cōsistere negatur in l. quæsitum, 12, §. si quis eodem, 10, D. de inst. vel instr. sin tanquam Vniuersum, & eius res singulas, iniquam putarem, cùm à pluribus sublatū esset, in plus quemque, quām quantum abstulisset, teneri. De vino vero, & oleo, & ingenti frumenti sacco, difficilior aliquanto quæstio est: si plures dolium, puta, prouoluerunt, aut ingentem sacrum exportarunt, quod unus facere solus non potuisse. Sed cùm eiusmodi res ad quātitatem potius quām ad corpus referantur, l. cùm Stichus, 29, D. de solut. l. planè, 34, §. 2, & §. 3, D. de leg. i. benignior interpretatio videtur, vt res eiusmodi ad secundum Totius genus, Concretum videlicet, referantur: & quoniam in partes intellecas diuisae intelliguntur, non à singulis solida, sed ab vniuersis pena furto imposita exigatur. arg. d. l. vulgaris, in principio, D. de Furt.

An legis



An legis actionum et actuum legitimorum eadem
ratio esset, aut quibus inter se rebus uel con-
uenirent, uel differrent.

Q V A E S T I O X X X I I .

MA G N A quæstio est, & ad cognoscendam iuris Quiritium formam
pernecessaria. Intelligendum est
autem, legis actiones fuisse for-
mulas rerū, tum à magistratibus,
tum à priuatis agendarum, quæ à Iurisconsultis
ex lege aliqua institutæ fuerant. Perperam enim
non Pomponius, sed Tribonianus in l.z. De orig.iur.
definit Legis actiones, quibus ciues in-
ter se disceptabant. quasi verò præter discepta-
trices non aliæ essent quamplurimæ, quæ nihil
ad lites pertinebant. Legis igitur actionum du-
plex proprietas fuit: quarum prior & antiquior
hæc est, vt ex legis alicuius instituto conceptæ
& ad eam accommodatae essent: veluti primæ il-
læ, quas ex xii tab. legibus compositas à pri-
scis Iurisconsultis fuisse, traditur in d.l.z. De orig.iur.
Sic Triumuiris Rempub. obtinentibus
rogatus est Cascelius Iuris. formulas ad eorū
acta aëcommodatas, cōcipere: vt Val. Max.lib.
6, testatur. Nullius, inquit, eorum gratia aut au-
toritate compelli potuit, vt de aliqua earum
rerum quas Triumuii dederant, formulam cō-
poneret: hoc animi iudicio victoriæ eorum be-

O.j.

neficia extra omnem ordinem legum ponens. Altera actionum proprietas hæc erat, vt inter præsentes, neque alieno nomine peragerentur. I.nemo, 123, D. de reg. iur. Actus autem legitimos appellamus formulas rerum à priuatis a-gendarum, per eosdem Iurisconsultos extra re-rum contrahendarum negotia institutas. Vnde triplex differētia intelligitur. prima, quod illæ priuatorum & magistratum communes erāt, hi priuatorum tantum proprii. Altera, quod illæ omnes erant ex lege: hi verò partim ex lege partim sine lege instituti. Tertia, quod illarum nulla nisi inter præsentes fieri poterat: horum verò plerique etiam per procuratores siebant. Similitudo verò quadruplex fuit. Nam vtræque actiones iuris erant publici, vtræque à Iurisconsul-tis certa formula compositæ: vtræque semel tantum siebant, neque iterabantur: vtræque pū-rè & sine diei aut conditionis adiectione sie-bant. Nunc de singulis videamus. ac primùm de iis quæ à magistratibus peragebantur. nam Varro lib.de ling.v, sic scribit: Dies nefasti, per quos nefas fari Prætorem, D O, D I C O, A D D I-C O. necesse est aliquo eorum uti verbo, cùm le-ge quid peragitur. Magistratus igitur siue iudi-cia, aut honorū possessionem, aut tutores da-bant, siue multam, aut viam dicebant, siue bo-na, siue litem, libertatem, seruitutem, ingenui-tatem, libertinitatem addicebant, lege agere dicebantur. In his autem actionibus hoc obser-vabatur, primùm ut inter præsentes fieret: vnde

illud in XII tab. P R A E S E N T I L I T E M A D-
D I C I T O . & in formulis : V T R I S Q V E S V-
P E R S T I T I B V S I S T A M V I A M D I C O . De-
inde vt certis verborū conceptionibus omnia
peragerētur, cùm D O , D I C O , A D D I C O , Præ-
tor (vt modò dicebamus) pronuntiaret. Eiusq;
rei argumētum est in l. de c r e t a , 48, D. de re iud.
l. si opus, 16, D. de oper. nou. nunt. Iam verò se-
mel tantūm eas peragi solitas, vel ex eo cōstat,
quòd Prætoris decretum ius faciebat: quod re-
tractari non poterat. l. pen. D. de inst. & iur. l. 5,
D. de f e r i i s . Quanquam re integrā quod iussit
vetuitve Prætor, contrario imperio tollere aut
remittere potest. l. quod iussit, 14, D. de re iud.
Postremò puras eas omnes fuisse, intelligendū
est: vnde illud in l. muto, 6, §. 1, D. de tutel. si
tutor sub conditione datus sit, eius dationem
nullius esse momenti. Quinetiam magistratus
ministri, cùm quid imperio ipsi⁹, ex lege tamē,
agebāt, Lege agere dicebātur. Liuius lib. x x vi,
Fuluius acceptas literas, neque resolutas, cùm
in gremio reposuisset, præconi imperauit vt li-
ctorem lege agere iuberet. Valer. lib. 3. Deliga-
tis ad palum hostibus, literas à patribus cōscri-
ptis ne quicquam Capuanis salutares accepit.
In sinistra enim manu, sicut erant traditæ, repo-
suit, ac iusso lictore lege agere, tunc demum a-
peruit. Inter priuatorum actiones primum lo-
cum obtinebant, quæ pertinebant ad lites: vt
apud Plaut. Aulul. Lege agito mecum, mole-
stus ne sis. Et apud Cic. de Orat. I. Alter pl⁹ legē

O.ij.

agendo petebat, quām quātum lcx in xii tab.
permiserat. Et pro Cæcina, Omnes qui in eadē
caussa sunt, & lege agant, & ius suum persequā-
tur. De vindiciis autem, quemadmodum ex le-
ge xii tab. institutæ, quemadmodum in iure a-
pud Prætorem, & certis verbis, & purè, & inter
præsentes, & semel fierent, copiose Gellius ex-
ponit lib. x x cap. ix. Denique actiones omnes
litigiosæ, & ex lege institutæ erant: (qua de cau-
sa lege agi per eas dicebatur) & in iure institue-
bantur, & certis verbis cōstabant, vt cuius per-
spicuum est. Inter præsentes autem agitari pri-
mū solitas, Imperator ostendit sub tit. De his
per qu. ag. poss. vbi ait, olim in vsu fuisse, alte-
rius nomine agi non posse. Qua de caussa ne pa-
ter quidem pro filio in officiis quarelam po-
test instituere. l. 8, D. de inoff. Purè autem eas
instituendas fuisse, vt ius certum peteretur, vel
ex eo cōstat, quòd qui ante diem petierat, cau-
sa cadebat. Semel porro eas institui licuisse, vel
ex eo patet, quòd eadē de re bis actio non erat.
l. 2, D. de except. rei iud. Sed præter illas disce-
ptatrices erant aliæ, quæ (vt Vlp. loquitur) iuris-
dictionis erant voluntariæ: quarum hæc bipar-
tita fuit distinctio, vt aliæ in iure, aliæ extra ius
peragerentur. In iure fiebant, Adoptio, Eman-
cipatio, Manumissio per vindictam, In iure ces-
sio, Litis contestatio, Nominis in reos relatio,
Appellatio, Tutelæ cessio, Tutelæ abdicatio,
Extra ius arrogatio, In ius vocatio, Satisfactio,
Antestatio, Mancipatio, Nuncupatio testa-

menti, Cretio, Aditio hereditatis, Noxæ dedi-
tio, Ius iurâdum, Tutoris auctoritas. De singu-
lis igitur videamus. Nam Adoptio quidem ex
lege xii tab. instituta fuit. Itaque legis aëtio
nominatur in l. 3, De off. proc. l. 1, D. de off. iu-
rid. l. 1, C. de adopt. Eam autem inter præsentes
fieri, Vlp. his ostendit verbis, in l. neque absen-
tes, 24, & l. seq. D. de adopt. Neque adoptare,
neque arrogare quis absens, nec per alium hu-
ijsmodi solennitatem peragere potest. Et de
iure apud magistratum, constat ex l. 3, & l. 4, D.
cod. Certis verbis eam compositam fuisse, Gel-
lius docet lib. v, cap. xix. Semel autē adoptari
aliquē licuisse, Paulus in l. adoptare, 37, D. cod.
Ad tempus autem, aut sub conditione fieri non
potuisse, patet ex l. quæsิตum est, 34, de adopt.
quia nec filium naturalē ea ratione habere pos-
sumus. Neque verò superioribus aduersatur,
quod crebrò legimus, Adoptiones in testamē-
tis factas, quasi & absentium, & extra ius fierēt.
Non enim hæ adoptiones propriè, sed arroga-
tiones erant: eorum videlicet qui sui iuris crāt:
vt cùm Pomponius à Cæcilio adoptatus dici-
tur in epist. ad Attic. 2: & apud Nepotem in il-
lius vita. Quare mortuo testatore non dubium
est quin lex curiata ferretur, Vellent iuberent
Quirites, vt Pomponius Cæcilius esset filius: vt
est apud Gell. eod. loco. Itaque Octavii adop-
tionem Cæsaris testamento factam, illa lege
confirmatam Dio lib. 46 testatur. Eodemque
pertinet illud Taciti lib. 12, Rogatāque lex, qua
O. iij.

in familiam Claudiā,& nomen Neronis transiret. Sequitur Emancipatio , quam ex lege xii tab.institutā, omnibus notum est. Qua de causa inter legis actiones numeratur in l. 4, D. de adopt.& apud Paul. Sent.2. tit. 26. & Iustinian. Nou 81. Inter præsentes autem fieri solitam, vel ex eius formula , quam Caius in Inst. commorat, vel ex circūductionibus & colaphis , de quibus in l.vlt.C. de emanc.lib.satis planè constat. quod tamen Anastasius abrogauit, cuius noua Emācipationis formula traditur in l.pen. C.eod. Vtrum autem ea in iure, an extra ius fieret, dubitari video: propter l.emancipari, 36, D. de adop.vbi Vlp. ait, emancipari filium à patre quocūque loco posse. quasi verò Caius in Inst. non apertè testetur, ante Præsidem, hoc est magistratum , cui legis actio sit, mancipationem fieri solitam. vnde intelligitur Quemcumque locum ab Vlp.dici,in quo Prætor salua maiestate imperii sui, saluoque more majorum ius dicere potest : quem omnem locum Ius dici nemo ignorat ex l.pen.de legib. Denique quoniā causa cognitione opus non est, neque tribunal, neque sella opus esse. Iam verò de huius actionis certa formula, dubitare nemo potest ex eodem Caij Inst.lib.1.ac ne de altera quidem nota;hoc est,vt semel facta,non iteretur : cùm sui iuris factus, amplius sui iuris fieri nō possit:neque amplius tribus mancipationibus adhiberi liceret. Postremò vt neque sub conditione, neque ad tempus fieret. d. l. actus. D. de reg. iur.

Seqūitur Manumissio pēr vindictā, quā ex lēge
 xii tab. institutā ex eo probabile ēst, quia pars
 est emancipationis: quæ & tribiis manumissio-
 nibus constabat, & sine dubio legis erat actio:
 vt Iust. Nouell. 81, ei γένης εμαικηπόνος πρεξί^{τι}
 πάλαι μὴ ταῖς καλούμενας legis αἰκνόνας γνωστήν
 μὴ ἔρεων καὶ πατομάτων &c. Denique manumis-
 sionem inter legis actiones apertè Paulus nu-
 merat, lib. Sent. 2, cap. 25. obscurè autem Con-
 statinus in l. vlt. C. de manum. vind. & Marcia-
 nus in l. 2, D. de off. procon. vbi liberorū & ser-
 uorum manumissiones eodē numero, & apud
 eosdem magistratus statuit. Inter præsentes au-
 tem eam peragi solitam, ritus ipse circunducē-
 di & colaphis cædendi, & virga tangendi, per-
 spicuè ostendit: nominatimque traditur in l. 3,
 C. eod. l. pen. C. qui manum. nō poss. In iure au-
 tem, id est, vel in tribunali, vel quocunque lo-
 co vbi magistratus & lictor adsit, fieri solitam
 constat ex l. 5, l. 6, l. 7, l. 8, D. de man. vind. Ver-
 ba autem solennia Festus hæc profert, Hunc
 hominem liberum esse volo. Tametsi Hermo-
 genianus in l. manumissio, 23, D. eod. scribat, æ-
 tate sua manumissionem per lictores domino
 tacente expediri solere: & verba solennia licet
 non dicantur, vt dicta accipienda esse. Vnde in-
 telligitur, postremis temporibus in libertatis
 fauorem multa de vetere ritu remissa fuisse. nā
 etiam apud legatum Procōsulis qui legis actio-
 nem non habebat, manumitti liquisse, testis est
 l. apud Proconsulem, 17, cod. Semel autem præ-

stari libertatem hanc solitam, testis est, l.2,C.de manum. vind. denique ad tempus dari non licuisse patet ex l.libertas,33,D. de man.vind.sub conditione verò , testamento quidem poterat: vindicta verò, non poterat. quia vindicta libertas absolute datur.l.mortis caussa,15,D.de manum.Simillima est legis illa actio in reis facie-
dis, de qua est apud Pedianum Verr.11.Item In
iure cessio,apud Vlp.Fragm.& in Institut. Caij
apud Boetium in Topic. iis verbis quæ iam o-
mnibus nota sunt. sed hæc exempli caussa pro-
posuisse sufficiat. nam cætera partim ex Vlpia.
Fragm.& Caij Institut. partim ex aliis auctori-
bus nullo negotio colligetur.Nunc ad eas quæ
extra ius siebant, accedendum est. Ac primū
de Testamento.nam ex lege xii tabul.institu-
tum id fuisse nemo ignorat. Certis autem ver-
bis fieri solitum , patet ex l.quoniam, 15, C. de
testam.& ex Nuncupationis formula, quam in
Fragm.Vlpia.protulit.Ex qua ipsa intelligitur,
eam nuncupationem, neque diem, neque con-
ditionem disertè ac nominatim admisisse:cùm
tamen eius partes admitterent. nam & dari li-
bertas in testamento sub conditione poterat.
l.1,D.de statu lib.cùm per vindictam dari non
posset: & heres sub conditione institui, legata-
que relinqu. Ex eodē genere fuit Hereditatis
aditio.nam illā quidē ex lege xii tab. ortum ha-
bere,nemo dubitat: siue ab intestato, siue ex te-
stamento esset.l.1,D.de hered.petit. l. lege ob-
uenire,130, De verb.signif. Per heredēm autem

ipsum eam fieri solitam , neque admissum pro-
curatorem fuisse , patet ex l. per procurato-
rem , 80 , D. de acq. her. cùm tamen in Pand.
Flor. vitiosè , vt opinor , scriptum sit , C V R A T O-
R E M . sed cùm Cæsari singulari iure concessum
sit , vt per suum procuratorem adire possit , l. 1 ,
§. vlt. D. off. proc. Cæs. perspicuum est , id cæteris
non licuisse . quod hoc etiam argumento con-
firmatur , quia senatoribus liberæ legationes
adeundarum hereditatum causa dabantur : vt
in Comment. de verb. iur. exposuimus . Certis
autem verbis Cretionem & Aditionem consti-
tisse , notum est omnibus ex Vlp. cap. Fragm.
26. vbi hæc duo coniunguntur A D E O C E R-
N O Q V E . ciusque vestigium extat in fin. l. eum
qui 51 , D. eod. Diem porro & conditionem in
adeunda hereditate non admissem , patet ex d.
l. eum qui , & l. heres , 54 , D. eod. Neque obstat l.
primo gradu 23 , D. quæ in fraud. cred. vbi here-
des eius qui soluendo non erat , ea conditione
adisse dicuntur , vt creditoribus partem dunta-
xat soluerent , nam ibi Conditiō pactionem si-
gnificat cum creditoribus factam . quemadmo-
dum heres cum legatariis & fideicommissariis
paciscitur . l. in quantitate , 73 , D. ad leg. Falc. l. a-
pud Iulianum , II , D. ad Trebell. Iam vero in he-
reditatis aditione neque diem neque condi-
tionem admitti , patet ex l. actus . 77 , D. de reg.
iur. Restat vt de ea non iteranda testimonium
proferamus : quod extat in l. si solus , 80 , in si . D.
de acq. hered. Hereditatis igitur aditio legis a-
ctio erat : Bonorum autem possessio , non erat .

itaque per procuratorem acquiri poterat. l. si quis alicui, 48, D. de acq. hered. l. si maritus, 5, C. mand. Sequitur Mancipatio: quam ex lege xii tab. institutam fuisse, & ab auctore ac mancipe presentibus certis verbis ac formulis, extra ius, quo quis loco usurpatam fuisse, docent Vopianus, Caius, & Boetius. Pure autem propter ea fiebat, quia praesens dominium, traditione facta, praesentique pecunia numerata transferbatur: unde periculum iudicij & euictionis: ut ex Plauto & Ciceronis Muræniana in verbis Iur. ostendimus. Quod si dominium transferebatur, sequitur, ut semel tantum fieri soleret. Verum haec quidem de legis actionibus hactenus. nunc de legitimis actibus videamus: quod non men etsi generale esse constat, tamē, ut plerunque fit, ad eas species propriè restrictū est, quas superius explicauimus. Horum autem in numero Acceptilationem & Legati optionem statuemus: quas Papinianus nominat in l. actus, de reg. iur. Præterea autem Conuentionem in manum, Repudium, & Diuortium: quæ etsi certis siebant verbis, l. i, D. de diuort. certoque & solenni modo, l. i, D. vnd. vir. & v x. tamen per intornuntium fieri potuisse constat ex l. 5, D. de rit. nupt. l. 2, D. de diuort. Itemque in diem additionem, quæ etsi certis siebant verbis, l. i, D. de in diem addict. tamen in tempus necessariò siebant. Item Comperedinationem & Vadimonium, quæ in diem certam fieri solita, nemo ignorat. Item Denuntiationem testimonij, quæ ex lege xii tab. non semel, sed iterum ac tertio

fiebat. Nam hi omnes legitimi actus nominantur, cùm in d.l. actus, tum in l. pen. C. de heretic. vbi eo nomine actus ii soli significatur, qui iuris sunt publici : neque omnino proprié. non enim omnes lege certa instituti sunt. nam Acceptilatio Aquiliana C. Aquilium Iurisc. auctore habet. Itaque ciuiles magis verè propriéque dicentur, aut solennes: vt acceptilatio solennis actus nominatur in l. vlt. C. de reuoc. quæ in fraud. cred. sed legitima persæpe dicuntur, quæ iuris sunt publici : vt legitima verba dicuntur, quæ alibi ciuilia, solennia, directa nominantur : quæ tamen non à legibus, sed à Iuris consultis concepta esse constat. Postremò illud subiungendū est, Actuū legitimorum duo esse genera : nam alij diem & conditionem recipiunt: alij non recipiunt. veluti Acceptilatio & Optio non recipiunt: at Vadimonium, Cōperendinatio, Obualgulatio, quæ denuntiandi testimonij caufa fiebat, & Procuratoris datio recipiunt. l. 3, D. de procur. Itaque Papinianus non dixit, Actus legitimi non recipiunt diem vel conditionem: sed distincte. Actus qui non recipiunt Relatiuum enim Q v i, suum antecedens restringit. vt l. quod ait lex, i i, D. de diuort. l. à filio, 15, §. i, D. de adim. leg. Quæ ex re de illorum stultitia existimari potest, qui in cap. 50, Dē reg. iur. in Sext. infinitè & generaliter tradiderunt, actus legitimos neque diem neque conditionem recipere. quo loco Dinus non irridiculè scribit, regulam illam imagina-

tioni mentis suæ applicari non posse. Sed iam de Acceptilatione videamus. nam illam inter præsentes fieri oportuisse, neque per procuratorem aut seruum fieri potuisse, ita perspicue traditur in l. & per iuslurandum, 13, §. tutor, & l. pen. D. de acceptil. vt mihi verisimile sit, verba hæc S I N E M A N D A T O , quæ sunt in l. 3, D. eod. aut spuria esse, & ex glossa imperiti hominis profecta; aut ita corrigēda, S I N E N O V A T I O N E , vt apertissimè traditur in d. §. tutor. præsertim cùm stipulatio, siue interrogationis & responsionis formula (qua constat Acceptatio) inter absentes fieri non possit. l. 1, D. de verb. obl. Institutum porro fuisse, vt ea certis verbis fieret, constat ex l. & vno, 18, D. de acceptil. cæterū eam neque diem neque conditionem recepisse, patet ex l. 4, & l. 5, D. eod. Cuius rei ratio hæc est, quia obligationi præsentē interitum affert. Qua de causa quod in diem, vel sub conditione debetur: tum demum acceptilatione sublatum intelligetur, cùm dies aut conditio debitio euenerit. l. quod in diem, 12, D. eod. Non fuisse autem iterādam solutionem, ex eo constat, quod si vel aliquid amplius debito præstitum est, vel à reo & fideiussore solutum, indebiti condictione repetebatur. l. si reus, 20, D. de cond. indeb. Deinceps de Legati optione videamus: quam legis actionem non esse, vel hinc intelligi potest, quia nulla lege instituta est, tametsi partem esse testamenti, quæ certissima legis actio est, constet. item vt tuto-

ris dationem, liberti assignationem, manumis-
sionem testamentariam, quas tamē legis actio-
nes nemo dixerit: cùm illæ duæ conditionales
esse non possint, Libertas autem testamento,
& post tempus, & sub conditione relinquatur.
l.libertas,17,& l.testamento,23.D.de man. test.
Denique non video, cur optio serui per procu-
ratorem, cui mandatum id sit, fieri non possit.
cùm etiam de matre pro filia optante mentio
fiat,in l.pen.D.de opt.leg. Certis autem verbis
legati optionē fieri solitam, probabile est:cùm
ea testatione fieret.l.apud Aufidiū, 20, D.eod.
Denique cùm optionis legatū (vt Vlp.in Frag.
testatur) & omnia, quantumuis exigua, certis
constarent verbis, dubitandum non arbitror,
quin illa quoque optionis testatio constaret.
Iam verò purè & semel fieri solitam, ex eo intel-
ligitur, quòd alioqui semper suspenso & incer-
to animo heres fuisset. qua de caussa etiam o-
ptandi dies à magistratu præstitebatur.l. 5,D.
eod. denique de nō iteranda optione testimo-
nium est in l.serui, 5, D. de legat. Ad extremum
illud quoque notandum est, Actus legitimos,
qui puris formulis constabant, expressam diei
conditionisve adiectionem repudiasse:tacitam
verò recepisse. veluti si quod sub cōditione de-
betur, accepto feratur.nam formula quidem di-
lationis expers est. Vis autem & effectus acce-
ptilationis in futuri temporis euētum reiectus
est.l.quod in diem, 12. D. de accept. l. licet so-
leat,43,D.de iur.dot. ybi cùm dos per accepti-

lationem constituitur, tacitè conditio inesse dicitur, si nuptiæ sequutæ fuerint. I. non enim, 37, D. eod. Quod eodem modo de testamento dici posse arbitror: quod tamen inter legis actiones retulimus. Nuncupatio enim (vt ex Vlp. Fragm. cap. 20. intelligitur) pura & directa est: neque ex incerto futuri temporis euentu pendet. Eius tamen vis & effectus omnis conferri in conditionem potest. veluti, si heres sub conditione sit institut⁹, quæ postea deficiat. Quintam video de manumissione idem dici posse, ex I. mortis caussa, 15, D. de manum. vbi Marcellus ait, Etsi libertas per vindictā absolutē danda est, tamen mortis caussa factam manumissionem, tacitam in se conditionem continere, vsq; ad manumissoris mortem. Vnde nota Regula est, Expressa nocent, non expressa non nocent.

An Imperator de Ducatu, quem ante adeptum imperium habuit, etiam post imperium adeptum fidelitatem praestare debeat.

Q V A E S T I O X X X I I I .

EX FACTO incidit (ut est apud Ardizonem) Fridericum principem, cum ab initio dux esset, & pro ducatu fidelitatem faceret, diuino nutu postea Imperatorem creatum. Petita ab eo fidelitate pro ducatu, pententi domino respondisse, non teneri se fidelitatem facere: cum omne hominum genus sibi fidelitatem debeat: & ipse soli Deo & Romano pontifici. Sed cum insistente feudi domino, de hoc contenderetur, proceribus prudenter visum est, feudum amissum esse, vel alium ducem in ducatu constituendum, qui feudo seruire debeat, & domino fidelitatem faciat. Hæc Ardizo in Articul. feud . §. 28. Summa autem quæstionis ad genus vniuersum reuocatae, est huiusmodi, An Vasallus maiorem Seniore suo dignitatem adeptus, ab eius hominio liberetur. Nam pro Friderico hæc pugnat: primùm quod cum Imperator summū dignitatis & potestatis gradum obtineat, absurdum videtur eum in alterius clientela esse, ac iurare se hominem ac vasallum alterius esse, obsequium illi & obseruatiā redditum, & eandem illi præstitum,

quam Vasallus suo Seniori debet: quam solen-
nem esse fidelitatis præstandæ formulam con-
stat ex lib. Feud. 2, tit. 5. tit. 6. & tit. 7. neq; enim
qui magistratum obtinent, vel ab inferiore vel
etiam à pari contra dignitatem aliquid facere
compelli possunt. l. 3. in fi. & l. 4. D. de recept.
qui arb. præsertim cùm multarum gentium in-
stitutum sit, vt Vasallus fidelitatē iurans cin-
gulum deponat, & Senioris manum osculeturi
eique se in fidem & cliētelam cōmendet. quod
Imperatoria maiestate planè indignum vide-
tur. Secundò, quòd cùm Imperator caput orbis
Christiani dicatur in aurea Bulla Caroli IV,
cap. 2. Vasalli autem collegium habeant eorū
quos Pares appellant: quod sint (vt Græci di-
cunt) *ομόνυμοι*: alienum ab Imperatoria digni-
tate videretur, collegam & parem dici Princi-
pibus aut nobilibus multo inferioribus: cùm
magistratum & dignitatum gradus confundi
non oporteat. l. potioris 5, C. de off. rect. prou. &
l. 1, C. de off. præf. vrb. Vnde illud Plinii ep. 1. In
tribunatu abstinui caussis agēdis, quòd defor-
me arbitrabar, cui loco cedere omnes oporten-
ret, hunc omnibus sedentibus stare. Tertiò,
quemadmodum is qui Senatoriam dignitatem
adeptus est, quantum ad munera, municeps es-
se desinit, ne illis amplius sit obnoxius: l. muni-
ceps, 23, D. ad munic. ita qui maiorē aliquā di-
gnitatē adeptus est, videtur muneribus à digni-
tate sua dissentaneis liberatus esse. Ex cōtraria
verò parte hæc pugnant. Primū quòd si feudū
est in

est in agris, id est si agri non allodiales sunt, sed feudales, qualitas & cōditio prædij propter mutatam possessoris conditionem non immutatur. l. 4, §. is verò. D. de cens. l. cùm vnus, 12, §. vlt. D. de reb. auct. iud. poss. Itaque in vectigalibus ipsa prædia magis quàm personæ obligata esse dicuntur. l. Imperatores, 7, D. de public. Sic agri quibus onus aliquod iniunctū est, mutato possessore, onus tamen illud retinent. l. vsufructu, 7, §. vnde Celsus, l. si pendentes, 27. §. si quid, D. de vsuf. l. Paula, 27, §. vlt. de legat. 3. l. 2, & l. Lucius, 12, D. de alim. leg. Sinautem feudum est non in agris, sed in iuribus, qualem istum fuisse Ducatum propositum est: (nam iurium & honorum feuda constitui, patet ex lib. Feud. 2. tit. 61.) tamen regula est feudalis iuris, quæ ad superiorem casum pertinet, vt Beneficium non detur, nisi propter officium & beneficij agnitionem. lib. Feud. 2, tit. 21. Secundò ne summus quidem magistratus, veluti Consulatus, antiquo ciuili iure patriā potestate extinguebat: vt Dionys. Halic. lib. 2. scribit, & satis constat ex l. 3, D. de adopt. & l. ille à quo, 13, in fi. D. ad treb. l. 1, §. vlt. D. ad Macedon. nam publici iuris ratio à priuato iure separatur: neque alterum alteri impedimento est. l. filius fa. 9, D. de his quæ sunt sui iur. l. nā quod, 14, D. ad treb. l. 6, D. de cap. min. l. apud filium, 18, D. de man. vindict. Quocirca nihil prohibet, in Friderico duplicem conditio nem spectare: vnam Vasalli, quæ priuati iuris erit, propter beneficium ab aliquo acceptum:

alterā summi magistratus: cuius respectu summam potestatem habebit, quemadmodum filius in patrem. d.l ille à quo. Cuius rei singulare exemplum notum omnibus est ex Liuio, Plutarcho, & Valerio, de Q. Fabio Maximo, qui à filio Consule de via decedere, & ex equo descendere iussus est. Denique nihil est incommodi vnum eundémque duas personas diuerso respectu sustinere: vt in d.l. 3, D. de adopt. vbi filius fa. Consul apud semetipsum manumittitur. Tertio si propter nouam à Vassallo adeptam dignitatem feudalis conditio amitteretur, multa cōsequerentur incommoda: veluti, vt Friderico sine liberis mortuo, eiūsque stirpe extincta, feudū ad Seniorem suum non reuerteretur: contra lib. 2, tit. 15, & tit. 18, & tit. 26, & tit. 31, vt ei sine Senioris permisso feendum illud alienare liceret: contrà lib. 2. tit. 52. §. 1. & tit. 40. §. 2, & tit. 55. Quartò quod hīc obiicitur Imperatorem soli Deo & Romano pontifici fidelitatem debere: videmus tamen in c. Adrianus, dist. 63. Adrianū Papam cum vniuersa synodo decreuisse, vt Pontifex ipse ab Imperatore crearetur. idémque ipsum ius creandi Pontificis & Episcoporum, Leo Papa Imp. Ottoni deberi agnoscit, in c. in synodo, ibid. Sigebert. in Chron. an. 773. Adrianus Papa ad tuendas res Ecclesiæ Carolum magnum Romanum accersit. Ibi synodum constituit cum Adriano, aliisque CL IIII religiosis episcopis & abbatibus, in qua Adrianus Papa cum vniuersali synodo dedit ei ius eligendi Pontificē,

& ordinandi Apostolicam sedem , dignitatem quoque principatus. Atque hæc quidem ita dis-putari possunt , multo (mea quidem sententia) probabili^o, quām quod Ardizo testatur, placuisse nonnullis proceribus , feudum amissum esse. quo iudicio Seniori à quo Ducatum Fridericus in feudum acceperat , eiūsque posteris apertissima iniuria inferebatur : quibus sine villa culpa ius feudi adimebatur: cùm absurdum sit propter nouam Vassalli dignitatem Seniorem detrimēto affici : cui ius suum nisi certis de causis non eripitur, lib.2, tit.23. & tit. seq. præsertim cùm neque patri ob filij dignitatem antiquo iure sua potestas adimeretur: vt suprà dictum est ex l. ille à quo, 13, D. ad Treb. neque liberti, nisi consentientibus patronis, ius aureorū annulorum adipiscabantur. l.3, D. de iur. aur. ann. neque à potentiore aliquo sine eorundem consensu adoptari poterant. l. liberto, 49, D. de bon. lib. neq; natalibus restitui. l. 2, in fin. & l. vlt. D. de natal. restit. Quare multo probabilior & verior eorū fuit sententia, qui Ducem alium in illo Ducatu sufficiendum esse iudicabant : propterea quod Vasallo permisum est, si obsequiū ipsemet prestatre nolit, alterum suum in locum substituere. lib.2.tit.8, §. vlt. & tit.26, & tit.34, §.3, & titul.55, §. præterea. Quanquam ne huic quidem quæstioni usquequaque hoc modo satisfactum est. Quid enim si se Ducatu abdicare Fridericus nollet ? Quare intelligendum est duplex hominij & clientelę genus esse. quemadmodum Pro-


culus fœderis duas species esse ostendit. l. 7, D.
de capt. & postl. Vnum enim Personale est, al-
terum verò Reale. Personale est, cùm Vassallus
Senioris sui caput, fortunas, & existimationem
se se modis omnibus conseruaturum iurat: tan-
quam deuotus sui patroni: cuiusmodi solenne
& vſitatum illud est hominum, de quo passim
in iure feudal i tractatur: ac præsertim lib. 2, tit. 5,
& titt. seqq. Reale verò est, quod propter præ-
dium ipsum, agnoscendi scilicet auctoris bene-
ficii cauſsa, p r e ſ t a t u r . Denique quod Hominium
feudale appellari docuimus cap. Disput. Feud.
24, cùm reuerentia tribuitur alicui, cum promis-
ſione fidelis & grati animi, ob beneficium non
modò ab ſe, verum etiam à maioribus acceptū,
ſine vlliis insignis operæ obligatione. Neque
quicquam prohibet, non modò eum qui Senio-
ris ac Principis vnius ditioni subiectus eſt, alteri
Principi prædiorum cauſſa quæ in ipsius finibus
habeat, hominum illud p r e ſ t a r e : verum etiam
Regem alteri regi, ac principi, vel pari, vel in-
feriori: cuius rei passim exēpla extāt in Chron.
velut in Annalib. Britan. lib. 4, cap. 92. vbi Dux
Britanniae, qui tunc Regulus erat, Galliae Regi
propter Comitatum Monfortianum fidelitatē
iurat. Item in Chron. Dionysiac. cap. 33. sub Ca-
rolo v, Rex Nauarræ Galliae Regi hominum fe-
cisse dicitur, & fidelitatem iurasse possessionum
earum nomine, quas in Galliae finibus habebat.
Item apud Theodorum Nihem. lib. histor. 2,
cap. 25. vbi scribit, Delphinatum Galliae Regi ea

lege condonatum, ut Primogenitus Regni principatum illum tanquam Vassallus imperij tene-ret in feudum, & inde Delphinus vocaretur. Itē apud Anton. Florentinum hist. part. 2. tit. 17, & saepe in nostris Annalibus memoriae prodi-tum est, Regem Angliae possessionum quarun-dam nomine, quas in Galliae finibus habebat, hominum & fidelitatem Regi Galliae iurasse. Eodemque pertinet quod Vlp. scribit in l. 4, §. 2, D. de cens. eum qui alterius ciuitatis ciuis est, in altera prædia possidet, eorum prædiorum no-mine tributum ei ciuitati debere, cuius in ter-ri-torio illa sunt prædia. Quo in genere munera il-la sunt, quæ in lib. nostris Rei cohærentia dicū-tur. I. sunt munera, II. D. de vac. muner. Item In-tributiones quæ in agris fiunt. I. rescripto, 6, §. vlt. D. mun. & honor. Ut illud omittā, quod v-bi conditionis personæ mutatio contingit, eius præcipue temporis quo institutum negotium est ratio ducitur. I. Pomponius, 18, D. de ne. gest. I. tutor, 37, D. de admin. tut.

P. iij.

Vtrum adiuncti pacti eadem tum in strictis, tum in bonæfidei contractibus uis sit, aut uero quibus in rebus sit dissimilis.

Q V A E S T I O X X X V.



R A E C L A R A hæc quæstio est:
quæ propositis aliquot enuntiatis
explicanda est. quorum primum
erit huiusmodi, Pactorum nudo-
rum quædā simplicia sunt, & per
se constant: quædam alteri principali negotio
attributa sunt: quæ iccirco Attributa, vel Ad-
iuncta, vel Relata dicere possumus: quoniā per
se non constant, sed ad alium principalem con-
tractum referuntur. veluti cùm quid præter cō-
tractus formam conuenit: de qua mox differe-
mus. Prius enim secundum enuntiatum expo-
nendum est. II, Pactorum Relatorū alia ex con-
tinenti, alia ex interuallo fiunt. Ex continenti
cùm in ipso gerendo negotio quid conuenit: si-
ue ante, siue post ipsum negotium id conuene-
rit. l. 3, C. de ædil. act. l. petens, 27, C. de pact. Ex
interuallo, vt cùm tempus mediocre aliquod
interiectum est. l. continuus, 136, D. de verb. ob-
lig. l. duos reos, 6, in fi. D. de duobus reis const.
Seq. IIII, Eorundem relatorum aliud est Detra-
hens, aliud Adiiciens. Nam cum sua cuique con-
tractui forma sit, vel naturalis, vel conuentio-
nalis: pactū Detrahens dicitur, quod illi formæ

partem adimit, Adiiciēs verò, quod eidem partem adiungit. l.pacta, 72, D. de cont. empt. & l. contractus, 23, D. de reg.iur.in illis verbis, Nisi quid nominatim conuenerit, vel plus, vel minus, in singulis contractibus.nam si plus conuenerit, erit Adiiciens: si minus, Detrahens.Naturalē formā appello, quæ cuique contractui iure ciuili tributa est:sive (vt loquitur Vlpian.) quod naturaliter inest cuiusque contractus iudicio.l.ex empto, II, D. de act. empt. & Paulus, ius quod lex eius naturæ tribuit. l. si vnum, 27, §. pactus, in fin.D.de pact.veluti, naturalis forma exemptionis & venditionis est, vt simpliciter de euictione caueatur, l.si duo, 13, §. 3, d. de iure iur. l. I, §. I, D. de præt. stip. l. 4, D. de euict. si conuenerit, ne cautio præstetur, pactum est detrahēs.d.l. ex empto, & l.emptori, 37, D. de euict. si conuenerit, vt satisdato præstetur, est adiiciens.l. 4, & d.l.emptori, & l.si dictum, 56, D. de euict.Sic naturalis forma depositi est, vt dolus solus præstetur.l. I, C.depos. At si conuenerit, vt etiam culpa præstetur, pactum est adiiciens. l. I, §. si conuenit, D. eod. Sic naturalis forma commodati est, vt culpa præstetur. at si conuenerit, vt solus dolus præstetur, pactum erit detrahens.l. si vt certo, 5, §. interdum, D.commod. Atque hoc nimurum est quod Pomponius ait, obligationum cauſas pactione immutari posse.l.nec ex pretrio, 27, D. de reg.iur. & contractus modum excedi.l.Publia, 26, §. I, D.depos.vel eius naturam. vt in l. 5, §. pen. D. de præscript. verb. Et potest

mā datum ex pacto etiam naturam suam exceedere. Conuentionalem verò contractus formā appello, quæ partium conuentione cuique contractui attributa est: quoniam (vt vulgò dicitur) lex dat formam contractui. l. in conventionalibus, 52, D. de verb. oblig. d.l. contractus, & l. 7, §. 1, & l. in emptionibus, 43, D. de pact. veluti, si in bona fidei contractu conuenerit, ut usuras debitor soluat. Itaque si ex interuallo conuenerit, ne usuræ soluantur, hoc pactum Detrahens appellatur: ut detrahens dicatur non modò quod naturali, verum etiam quod conventionali contractus formæ partem aliquam adimit. Sequitur 1111, Pactum detrahens & adiiciens dupli ratione dicitur: nimis respectu substantiæ, & accidentis, siue (vt Papin. loquitur) adminiculorum contractus. substantia siue natura emptionis & venditionis est, pretium, merx, consensus. l. 2, §. 1, l. nec emptio, 8, D. de cont. empt. accidens, sine quo consistere emptio potest: veluti, cautio de euictione, d.l. emptori, De euict. l. qui erat, 49, D. fam. exercisc. Ita Papin. apertissimè in d.l. pacta, De cont. empt. alibi autem Vlp. testatur eum hæc adminicula vocasse, quæ extra naturam contractus sunt. l. 7, §. 1, in fi. D. de pact. Atque hæc quidem hactenus generaliter & infinitè de pactis dicta sint: quorum disputatio quoniam contractuum bona fidei & stricti iuris communis est, deinceps distributè à me tractabitur: ut prius de bona fidei, tum de strictis contractibus disseramus. Ergo quantum

ad bonæfidei contractus prima enuntiatio hæc erit, i. Pactum re integra de substantia contractus detrahens, siue ex continenti, siue ex interuallo, re tamen integra adhibetur, pacti nomine amittit: & vel Contractus vel Distractus efficiatur: re verò iam sequuta interpositum, ad exceptionem valet. Nam si conuenerit ut equus cœtum aureis sit emptus: tum deinde quantumuis magno interuallo, re tamen integra, conuenerit, ut idem quinquaginta tātūm aureis sit emptus: noua hæc conuentio, non nudum pactum appellatur, sed nouus contractus quasi nullus antea præcesserit. l. 2, C. quand. lic. ab empt. l. si v-nus, 27, §. pactus, l. emptor, 47, l. ab emptione, 58, D. de pact. l. 2, D. de resc. vend. Idque adeò verum est ut interdum aliis à priore contractus efficiatur. nam dos per pactum æstimationis naturam immutat, & emptio atque venditio efficitur. l. cùm dotem, 10, C. de iur. dot. interdum etiam ut quod pactum verè locatio & conductio erat, tamen emptioni & venditioni apposatum pars huius efficiatur, veditique actionem informet, l. fundi, 79, D. de cont. empt. Similiter si emptio togæ aut lancis contracta sit, & re integra conuenerit, ne lancis emptio maneat, eius nomine emptio resoluitur. l. 4, D. de resc. vend. Quod si re non iam integra, sed sequuta interponatur, ex parte rei locum habet. l. si v-nus, 27, §. si cùm decem, & l. intra, 41, D. de pact. l. 5, C. eod. vbi si cùm viginti deberes, pepigerim ne decem petam, exceptio tibi pro decem con-

ceditur. Similiter Depositum per pactum efficitur Mutuum.l.certi,9,§.vlt.& l.seq. D. de reb. cred. efficitur etiam Conductio.l.i,§.si vestimentum,D. depos. Seq. i i, Pactum de adminicilis detrahens, si confessim adhibetur , inest principali contractui ex parte actoris : sin ex intervallo, locum habet ex parte rei. d. l. 7, §. quinimo, De pact. Inesse autem ex parte actoris est, valere ad actionem reformandam : id est ad solennem eius formulam ipso iure vel minuendam , vel amplificandam. quorum illud actori nocet,hoc verò prodest.vnde illud Pauli. Exceptiones pacti bonæfidei iudiciis inesse.l.3, D.de rescind.vend. quod ille sic interpretatur, actionem à prætore ex ea parte denegari.nam prætor in constituendo iudicio , vbi demonstratum erit,pactum illud interpositum fuisse , actionem ab ea parte non dabit.Similiter dicere solemus; dolii exceptionē bonæfidei iudiciis inesse. nam hoc idem valet, vt actionem propter dolum ipso iure impediri,neque à prætore cōcedi.Cūm enim dolus bonæfidei aduersetur , vbi prætor dolum animaduertit,actionem denegat. l. do-
mum,57,in fi.D.de cont.enipt.l.& eleganter,7,
D.de dol.mal. adeo vt quanuis ex stipulatione dolosa detur actio , tamen si dolus prætori appareat , actionem non concedat.l.i,§.idem Pōponius, D. de dol. neque enim iis assentior qui hoc sic interpretantur, quasi ratio dolii vel pacti à iudice haberetur , etiam si eius exceptionem reus omiserit. non enim usque ad iudicem res

producitur: sed à prætore in constituendo iudicio & contestanda lite disceptatur. I.eleganter, 23, §. si quis, D.de cond.ind.l.i, §. sunt qui, D.nequid in flum. pub.l.inter coheredes, 44, §. i, D.fam.erc. Itaque Julianus in l. huiusmodi, 84, §. qui seruum, D.de leg.i. vbi scribit reum emptorem actione ex vendito absoluendum, quoniā, inquit, iudicium bonæfidei est, quod doli exceptionem in se continebat. In eandem sententiā sumptus inesse dicitur actioni de dote, atq; ob eam caussam, vbi summam illius adæquant, actionem cuanescere, quoniam doli exceptio ei inest. I.sed et si, 21, D.sol.mat. Nam quod dicitur
I P S O I V R E, ad prætorem refertur. velut in l. posteaquam, 21, D.de compens. quoniam id quod inuicem debetur, ipso iure compensatur, ab initio minus peti: hoc est, actionē in minorē tantūm summam à prætore concedi. Denique Ipso iure & Per exceptionem passim opponuntur. veluti in l. 3, §. emancipati, D.de coll.bon. Veruntamen vbi de facto prætori non constat, rem ad iudicem reiicit, siue exceptioni locus sit: velut in l. nam posteaquam, 9, D.de iureiur. l. 3, C.de except. & l. 3, §. ibidem, D.ad exhib. siue non sit, & ipsius iudicii natura contineatur. l. planè, 38, D.de her. pet. Sed nunc ad institutum redeundum est. nam quid sit Pacti exceptionē contractui ex parte actoris inesse, satis dilucidè, vt opinor, explicatum est. Supereft ut videamus quid sit Ex parte rei locum habere: quæ Vlpiani loquutio est in l. 7, §. quinimo, in fi. D.de pact.

Nam quod vulgò in scholis dicimus Ex parte rei inesse, vereor ut satis cōmodè usurpetur: tametsi vulgi errore inductus hanc loquendi consuetudinem ipse quoque nonnunquam sum sequutus. Ergo locum habere ex parte rei pactum dicitur, cùm ei ad exceptionem valet. Quod cùm ita sit, si in specie proposita, & emptione contrahenda pactum incontinenti fuerit, ne de cūctione caueatur, pactum hoc ex parte actoris contractui inest: nimirum, vt solennem eius actionis formulam imminuat. Cùm enim naturaliter inesset empti iudicio, vt non modò res, verum etiam duplæ cautio peteretur, l. si duo, 13, §. 3, D. de iure iur. nunc propter pactum detrahens, illa pars quæ ad cautionem pertinet demetur. atque hoc nimirum est quod Pomponius scripsit, obligationū caussas pactione immutari, & ipso iure, & per pacti conuenti exceptionem. quia actionum modus, vel lege, vel per prætorem introductus priuatorum pactionibus non infirmatur (id est immutatur, nisi potius legendum sit *informatur*) nisi tunc cùm inchoatur actio, inter eos conuenit. l. nec ex prætorio, 27, D. de regul. iur. ca. Quare si in emendo conuenerit, vt si res emptori intra certum tempus displiceret, redderetur, ex empto actio est. l. si conuenerit, 6, D. de resc. vend. Sic Vlpianus in d.l. 7. §. 1, Si quidem, inquit, ex continentia pacta subsequuta sunt, etiam ex parte actoris insunt. Et mox, Ea enim pacta insunt, quæ legem contractui dant, id est quæ in ingressu contra-

Etus facta sunt: si autem pactum illud ex inter-
vallo adhibitum sit, tum verò locum tantùm
ex parte rei habebit. Nam venditori tantùm ad
exceptionem valebit. d.l.7, §.1, in fi. de pact. Ita-
que cùm emptor per actionem ex empto duplè
cautionem postulabit, venditor ei pacti exce-
ptionem opponet, Si non pactus sis de cautio-
ne non exigenda. Et hoc est quod Vlp. illo lo-
co sic scribit, Ex interuallo non inerunt, nec va-
lebunt, si agat: ne ex pacto actio nascatur. Ergo
ex parte actoris non inerunt. veluti, Naturalis
forma contractus dotis est, vt soluto matrimo-
nio annua, bima, trima die dos reddatur. l.1, §.
exactio, C. de rei vx. act. Si post diuortium, in-
quit Vlp. conuenerit vt statim dos reddatur,
hoc non valebit: ne ex pacto actio nascatur. Et
mox responsum à Papin. est, si post emptionem
ex interuallo aliquid extra naturam contractus
conueniat, ob hanc caussam agi ex empto non
posse, propter eandem Regulam, Ne ex pacto
actio nascatur. Sed ex parte rei locum habebit
pactū: quia solent & ea pacta quæ postea inter-
ponuntur, parere exceptiones. Seq. 111, Pactum
re integra substantiæ contractus adiiciens, siue
ex continenti, siue ex interuallo adhibetur, re-
nouat contractum. At si re non integra inter-
ponatur, nullius momenti est: veluti si emptione
ita contracta vt fundus centum aureis em-
ptus sit, re utraque ex parte integra, rursus con-
uenerit, vt idem fundus ducentis aureis emptus
sit. nam cùm hoc pactum essentiam emptionis

& venditionis contineat, non iam pactum nudum, sed verus germanusque contractus efficitur. l. 2, D. de refc. vend. Vbi vero iam sequuntur res est, nullius momenti pactum est: quoniam ex pacto nudo actio non nascitur. Seq. IIII, Pactum adiiciens adminiculis, si quidem ex continentis sit adhibitum, ineft ex parte actoris. si ex interuallo, tantum ex parte rei locum habebit. veluti, Conuenit ut venditor de euictione satisdaret. si cōfestim id & in ipso principali emptionis ac venditionis negotio gerendo conuenierit, valebit emptori ad actionem informandam, & noua adiectione amplificandam. sicuti videmus actionem adiectione noua amplificari in l. in bonæ, 36, D. de pecul. nam emptor non modò rem, verum etiam fideiussorem sibi dari postulabit. Itaque intelligendum est quod traditur in l. qui fundum, 75, D. de cont. empt. qui fundum vendidit, ut eum certa mercede conductum ipse habebat, vel si vendat, non alij, sed sibi distrahat, ad complendum id quod pepigerunt, ex vendito agere poterit: nimirum cum ex continentis pepigerunt. Eodemque pacta illa pertinent, ut certo loco quid praestetur. l. in bonæ, 7, D. de eo quod cert. loc. l. 5, D. commod. item ut ne in mari proxime fundum aliquem pescari liceat, l. venditor, 13, D. comm. præd. Quintam adminiculorum numero usuras ascribi video in l. Publia, 26, §. 1, D. depos. vbi pactum usurarum incontinenti appositum actionem informat. Itemque in l. initio, 5, C. de pact. int.

empt. & l. Lucius, 24, in fi. D. depos. l. si pro pa-
tre, 10, §. 2, in fi. De in rem vers. Sin autem ex in-
teruallo id conuenerit, tantum ex parte rei lo-
cum habebit: ut scilicet ei ad exceptionem pro-
fit, quod de venditore defendantе nullo modo
explicari potest, sed de agente, & ad iudicium
prouocante. nam cum per vediti actionem pre-
tium postulabit, tum emptor reus pacti exce-
ptionem opponet, si non fideiussorem mi-
hi promiseris. Atque ita Paulus intelligendus est
in l. 3, D. de refc. vend. Si emptor fideiussorē ac-
ceperit (id est conuenerit, vt fideiussorem acci-
peret) ex empto quidem agi non poterit, quia
bonae fidei iudicio exceptiones pacti insunt: id
est, pactum ex interuallo appositum locum ha-
bet tantum ex parte rei, vt ad exceptionem va-
leat: ex parte actoris non ineſt, nec ad actionem
informandā valet. Itaque venditor, inquit Pau-
lus, siue ex vendito, siue ex stipulatu agens, pre-
tium postulet, exceptione submouebitur. Sed
satius esse arbitror totum illum Papiniani locū,
breui adhibita paraphrasi exponere. Pacta con-
uenta principali cōtractui adiuncta quæ postea
(id est ex interuallo, vt in l. 7, §. 1, in fi. D de pact.)
facta detrahunt emptioni, hoc est, demunt ali-
quid de vſitata & solenni forma emptionis, vi-
dentur contineri contractu illo principali, vt si
quidem confessim adiuncta sint, ex parte acto-
ris insint, & ad actionem ipsius reformandam,
id est vel imminuendam, vel amplificandam va-
leant. Quæ verò pacta cōtractui adiiciunt, id est

solenni & usitatæ ipsius formæ aliquid addunt, & alterutrius contrahentis obligationem adaugent, credimus ea pacta quæ postea & ex interuallo apposita sunt, cōtractui non inesse: nimurum ex parte actoris, veluti si pactum sit ex interuallo factum, ut dos confessim post diuortium petatur, nō autem annua, bima, trima die: pactum cōtractui non inheret, ne ex pacto actio nascatur. l. 7, §. adeò, D. de pact. Hoc autem locū habet tantum in adminiculis. Ergo detrahētis pacti exemplum sit, ne cautio duplæ præstetur: adiicientis, ut cum fideiussore cautio duplæ præstetur. ac de adiicienti pacto sic concludamus, Quo casu adiiciente pacto ex interuallo adhibito, agente emptore, & impleri contractū postulante, non valet pactum: id est, non prodest illi ad petendum fideiussorem: eodem casu (illo, inquam, eodem casu quo pactum adiiciēs ex interuallo subiunctum est) agente venditore vires habebit iure exceptionis: id est, emptori proderit ad exceptionem. Atque hæc quidem de adminiculis hactenus. nunc de essentia videamus: vbi notanda est apertissima oppositio & contentio substantiæ contractus cum adminiculis. Hic Papin. eandem distinctionem adhibet pacti detrahentis & adiicientis. Substantia emptionis, inquit, consistit in pretio. Ponamus pactum ex interuallo factum esse detrahens aliquid essentiæ: ut cum prius cōuenisset de centum aureis, nunc pactum fiat de octoginta, vel ex contrario, pactum adiiciens, ut cum de octoginta

ginta prius conuenisset, nunc conuenerit de cē-
tum: non immeritò, inquit Papinianus, quæsitū
est, vtrum hæc pacta insint, an non. Dubitandi
caussa erat, quoniam principalis ille contractus
superior per se ac suis viribus cōstabat, pactūm-
que hoc nudum superiori attributum eius tan-
tūm appendicula quædam videbatur, sicut in a-
liis innumeris pactionibus vſuuenit. Hic siue Pa-
pinianus sententiam suam, vt in re dubia, susti-
nuerit, siue alibi iudicium suum exposuerit, so-
lius certè Pauli respōsio profertur, vt quoniam
pacta illa fiunt de ipsius contractus essentia, nō
iam pacta nuda cēſeantur, sed plena, solida, sub-
stantialia: id est, veri germanique contractus: nō
uāmque noua illa conuentione emptionem ve-
teri extincto contractu cōſtituant: vt quodam-
modo quasi renouatus cōtractus videatur, sicut
loquitur Vlp. in d.l.7, §. ad cō, D. de pact. Quæ
cūm ita se habeant, prīmūm vidēdum est ne pā-
ctum detrahens interpretetur, quo ab emptione
receditur: adiiciens, quod ipsius adminiculis
adiicit. quæ diuidendi ratio ab arte aliena est: cu-
ius præceptum est, vt diuisio species cognatas
ex vno eodemque genere diducat: vt si pactum
detrahens interpretetur, quo ab emptione re-
ceditur: similiter pactum adiiciens definiamus,
quo emptio constituitur: quo nihil absurdius
dici potest. Itaque alibi detrahens & adiiciens
ad vnum idemque genus referuntur. l.1, §.3, D.
de verb. obl. l. si ex toto, 8, D. de leg. l. l. vlt. §. vlt.
D. de leg. 3. Videndum est præterea ne Papinia-

Q.j.

num absurdè locutum existimemus, vt Agentē venditorem dixerit pro, defendantem. nam et si agi etiā in exceptione dicatur, l. i, D. de except. tamen facile est animaduertere, locū huic abu-
fioni in hac lege nullum esse. primū, quia Pa-
pin. duos casus cōtrarios inter se opponit: quo-
rum priore emptorem ex empto aduersus ven-
ditorem agentem constituit: posteriore, vendi-
torem ex venditō agentem aduersus emptorē.
Deinde, quoniam Paulus hanc ipsam speciem
tractans in l. 3, D. de resc. vend. similiter in eadē
specie ita locutus est: Venditorem, inquit, agē-
tem exceptione summoueri oportet. Postremō,
quia nullum huic sententiæ a commodari exē-
plum potest. Nam quorsum se venditor exce-
ptione tueretur? cùm actionem empor illo no-
mine intendere in illum non possit: quippe,
quæ ipso iure deminuta sit: vt suprà dictum est
ex d. l. 3, de resc. vend. Verūm hæc quidē de bo-
næfidei cōtractibus hactenus. Deinceps de stri-
ctis contractibus videamus. quod argumētum
totidem enuntiatis tractabimus: quorum pri-
mum erit huiusmodi: Pactum de stricti contra-
ctus substantia detrahens, si confessim adhibi-
tum sit, ineſt ex parte actoris: at ex interuallo
interpositum, tātūm ex parte rei locum habet.
veluti, si tibi decem dedero, vt nouem debeas,
non amplius ipso iure debebis, quām nouem. I.
rogasti, II, §. 1, D. de reb. cred. Reformabitur er-
go atq; imminuetur creditoris actio, sic vt pe-
tere nisi nouē nō possit. Verūm si ex interuall.

id pactum est, tantum ad exceptionem valebit. l. si unus, 27, §. si cum decem, l. intra, 41, D. de pact. l. 5, C. eod. ubi si qui decem stipulanti spoponderat, postea pactum fecerit, ne amplius quam quinque deberet, pacti exceptione munitus esse dicitur. Cur autem aliud in his, aliud in bonæfidei contractibus statuat, causa expedita est: quoniam hic integra res non est: quod in bonæfidei iudiciis requiri ostendimus. Seq. 11: Pactum detrahens de adminiculis stricti contractus, si confessim adhibetur, ineſt ex parte actoris: fin ex intervallo, locum habet ex parte rei. l. obligatum, 44, §. 1, D. de obl. & act. ubi Paulus ait, conditionem efficacem esse, quæ in constituenda obligatione inseritur, non quæ post perfectam eam ponitur. veluti, Centū dare spōdes, nisi natus ex Asia venerit? sed hoc casu existente conditione locus erit exceptioni pacti conuenti. Nunc de priore parte videamus. nā si stipulatus centū, cōtinuò pepigerim ut per partes soluere liceat, pactū incōtinenti factū stipulationi inesse Paulus scribit in l. lecta, 41, De reb. cred. nimirum ex parte actoris, vt actionis forma immutetur: & creditor non plus singulis pensionibus petat, quam quantum pacto expressum est. Similiter si fortem & usurpas pure stipulatus confessim pepigero, ut donec usurpæ soluantur fortem non petam, conditio stipulationi inesse dicitur in d.l. 4, §. 1, D. de pact. Pla-
nè singulari casu pactum huiusmodi confessum

interpositum, non tamen ex parte actoris ine-
rit, sed ex parte rei locum habebit. nam si tem-
pus obligationi adiectum sit, veluti usq; ad Ka-
lendas, post tempus petere quidem stipulator
poterit, sed pacti conuenti exceptione submo-
uebitur: ait Paulus in d.l. obligationum, 44, De
obl. & act. & l. si mandata, 59, §. 2, D. mand. sed
ratio hæc est, quoniam propriè obligatio ad tē-
pus non constituitur. d. l. obligationum. At si
ex interuallo adhibitū fuerit, tum ad exceptio-
nem tantum valebit, ut modò dictum est ex d.
l. obligationum. itémque in l. 2, §. item quæri-
tur, D. de dol. except. vbi stipulat⁹ purè, si post-
ea paciscatur ne ante diem petat, si prius petat,
pacti exceptione repellitur. Atque hoc ex loco
interpretanda est l. si quis, 49, D. de pact. vbi
Vlp. agit de pacto, ut quatenus facere debitor
possit, eatus creditor agat. Nam illud pactū
incontinenti appositor fuisse necesse est, cùm
de imminuenda actione loquatur. quod si ex
interuallo factum esset, ita conceptum fuisset,
Quatenus facere possit, debitor teneatur: atq;
ad exceptionem valeret. Seq. 111: Pactum sub-
stantiæ contractus adiiciens quocunque tem-
pore adhibeatut, irritum est. nam si credidero
tibi decem vt mihi undecim debeas, amplius
quam decem petere non possum. d. l. rogasti, §.
1, D. si cert. pet. & l. si tibi, 17, D. de pact. vbi Pau-
lus rationem subiungit: Re enim nō potest ob-
ligatio cōtrahi, nisi quatenus datum est. Caussa
autem differentiæ à bonæfidei contractibus su-

perius exposita est, quoniam h̄c res non est in integro. Seq. 1111: Pactum adiiciens adminiculis contractus, si quidem cōtinuò adhibitū est, ex parte actoris ineſt: ſin ex interuallo, locum habet ex parte rei duntaxat. l. ſi ita quis, 135, §. Seia, D. de verb. obl. vbi actio ex stipulatu dari dicitur ei qui continuò poſt stipulationem patet fuerat. Itémque in l. iure, 5, C. de fideiuſſ. vbi pactum vt antē cum reo quām cum fideiuſſore agatur, actionem aduersus fideiuſſorem impedit. & l. 3, D. de refcin. vend. vbi ſi emptioni stipulatio adhibita fuerit, & ex continentī conuenerit, vt venditor de euictione ſatisfdet, Paulus in fi. legis ſcribit, emptorem ex stipulatu agentem petiturum vt ſatisfdetur. Similitérque ſi crediderim tibi ea lege, vt mihi Romæ foluas. nam actio ita naſcetur, vt Romæ peti poſſit. l. aut mutua, 6, & l. is qui, 9, D. de eo qu. cert. loc. Itémque ſi in emptione cui adhibita stipulatio eſt, conuenerit, ne cui certo in littore pifcari liecat, per stipulationis legem obligatur: ait Vlp. in l. venditor, 13, D. com. præd. Eodémque pertinet l. petens, 27, C. de paſt. vbi Imp. ſcribit penteſtem ex stipulatu cui pactum vel poſt vel ſtatim adhibitum eſt, audiēdum eſſe. Quanquam in vſuris locum hoc non habet. nam ita ius ciui le comparatum eſt, vt in strictis contractibus vſuræ ex pacto quanuis incontinenti adhibito non debeātur. l. Titius, 24, D. de præſcrip. verb. ſed tātū ex stipulatione l. 3, C. de vſur. l. ſi pro parte, 10, D. de in rē vers. Vbi verò ex interuallo.

pactum interpositum est. tum reo ad exceptionem valebit. Itaque si post emptionem , cui adhibita stipulatio est, ex interuallo conuenierit ut vendor de euictione satisdet , ac vendor ex stipulatu agens pretium postulet , pacti exceptione summouebitur: ait Paulus in d.l.3, D. de resc. vend. Ex quibus ita disputatis, non modò de summa inter bonæfidei & strictos cōtractus conuenientia , verumetiam de aduersariorum nostrorum iudicio existimari poterit.



An, ut quod ab initio statum non cepit, recipere postea non potest, ita quod semel statum cepit, amittere illum non possit.

Q V A E S T I O X X X V I.



V I V S quæstionis prior quidem pars, expedita est: ut quod ab initio vitiosum suit, ex postfacto cōualescere non possit. l. quod initio, 29, D. de reg. iur. quoniam ciuitates actus ex præsenti tempore statum capere oportet, non ex incerto & fortuito futuri temporis euentu pendere. l. continuus, 137, §. cùm quis, D. de verb. obl. Itaque certa illius exempla passim extant, non modò in testamentis,

quorū cauſſa primūm à Catone ſentētia illa cōcepta eſt: l. i, D. de reg. Cat. verūm in aliis omni- bus. Itaque de teſtamento quidem in genere & infinitē exemplum extat in l. omnia, 201, D. de reg. iur. & l. ſi filius famili. 19, D. de teſtament. de inſtitutione verò, in l. ſi filius, 7, D. de lib. & poſt. & ſ. i, De exher. lib. l. ſi alienum, 49, D. de her. inſt. Item de legato in l. i, D. de reg. Cat. l. cetera, 41, ſ. i, D. de leg. i. l. 3, D. de his quæ pro non ſcript. & de legato libertatis in l. Ser- uius, 35, & l. verū eſt, 58, 2. de manumiff. teſtam. Sed præter teſtamēti partes, & planè extra cauſ ſam teſtamentariam, exemplum de ſtipulatio- ne extat in l. inter ſtipulantem, 83, ſ. ſtichum, & l. inſulam, 124, D. de verb. oblig. Item de pa- cto in l. ſi tibi decem, 17, ſ. ſi pactus, D. de pact. Item de tutoris auctoritate, in l. obligari, 9, ſ. tutor, D. de auct. tut. Item de actione quod iuſſu, in l. 2, ſ. vlt. D. quod iuſſ. & de in rem ver- ſo, in l. ſi pro parte, 10, ſ. idem quærit, D. de in rem verſ. & de pignoribus, in l. ſi Titio, 22, D. de pign. Cūm autem conditionalia ſatum ex præſenti tempore non capiant, conſentaneum eſt, in illis huic regulæ locum non eſſe. Velut in legatis, l. pen. D. de reg. Cat. Itēmque in ſti- pulationibus, l. ſi rem meam, 31, & l. exiſtimo, 98, D. de verborum obligat. Atque hæc qui- dem de priore parte haſtenus. Poſterior au- tem quæſtionis pars aliquanto perplexior eſt. An quod ſemel ſatum cepit, ſi in eum caſum vnde incipere non poſterat, inciderit, vitietur.

Multis enim casibus accidere ut non vitictur,
Vlp.scribit in l.in ambiguis, 85, D. de reg.iur.
cuius rei exemplum primū in nuptiis often-
demus. nam et si adoptiuus filius eā quæ patris
adoptiui vxor fuit accipere vxorem non possit,
quoniam nouercæ loco ei fuit:l.adoptiuus, 14,
D.de rit.nupt.tamen si is qui mulierem à Titio
repudiatam duxerat , ab eodem postmodum
arrogetur, nuptiæ non vitiantur: l. si qua mihi,
12,eod.Item quanuis furor sponsalia & nuptias
impedit, in quibus consensus requiritur: tamē
post sponsalia nuptiæve contractas superue-
niens,neutrum illorum vitiat. l.furor, 8, D.de
sponsal.l.oratione, 16,§.vlt.D.de rit.nupt.l.pa-
tre furioso, 8,D. qui sunt sui vel al.id quod ad li-
bertam patroni concubinam postea productū
est, vt quanuis libera discedere à patrono fu-
rioso posse, nec ei concubina esse cogatur, ta-
men si post concubinatum furor superueniat,
manere in cōcubinatu cogitur.l.in eo, 45,§.de-
inde,D.de rit.nupt.l.i.D. de concub. Secundū
exemplum in possessione sumendum est. Quā-
uis enim mala fides ab initio possessionis vfu-
cpcionem impedit, tamen eadem postea su-
perueniens, possessionem non vitiat,nec impe-
dit vfuscacionem procedere.l.si is qui, 15,§.pén.
l.iusto, 44,§.et si.D.de usurp. Idémque in quasi
possessione seruitutis vfuuenit. Quanuis enim
prætor interdictum de itinere aetūque priuato
non det, nisi ei qui hoc anno non vitiosè,hoc
est,nec vi,nec clam , nec precario vſus est,tamē

si post annum vitiosè vti cœperat, nihilominus interdictum habebit.l.i,§.vlt.& l.seq.D.de itin. actuque pr. Tertium exemplum est sumendum ex testamentis. Quanuis enim neque furiosus, neque prodigus facere testamentum possit, tamen furor aut interdictio bonorum post testamentum factum superueniens illud non vitiat. l.filius, 16, l.is cui, 18, D.de testam. Quartum erit in stipulationibus. nam etsi seruitus acquiri per partes non potest, cum indiuidua sit: l.2, §. ex his, D.de verb. obl. tamen si Titius viam ad suū fundum sit stipulatus, deinde pluribus relictis heredibus decesserit, singuli heredes ipsius separatim agere ex stipulatu poterunt, cum tamen si plures ab initio stipulati seruitutem fuissent, unus ad constituendam seruitutem agere non potuisset. l.pluribus, 140, §.2, D.de verb. obl. Sic de possessione iudicio sisti exemplum est in l. sciendum, 15, §.vlt. D qui sat. cog. Quintum exē plum est in actionibus: Quāuis enim prætor ex defuncti delicto actionem non det in heredē, nisi quatenus ad eum peruenit: l. quod diximus, & ll.seqq. D.de eo quod met.causs. l.5, D.de calumniat. tamen etiamsi id quod peruerterit nō duret, sed apud heredem esse desierit, actionem nihilominus concedit, etiamsi momento tantum apud eum fuerit. l. cum prætor, 127, D.de reg.iur. Atque hæc quidem exempla sunt eorū casuum, quibus vitium superueniens rem bene constitutam corrumpit. Sed neq; vsquequaque id verum est, neque in ylliis eiusmodi regulæ

definitione Iurisconsulti consenserunt. Nam in
quæstione , An legatum vtile sit , cùm debitor
creditori quod in diem debebat, legauit, si vi-
vo testatore dies venerit , Papinianus quidem
affirmare videtur esse vtile: in §. si quis debitori,
et 3, de legat. & l. verbis , 5. D. ad leg. falc. Paulus
autē negare idem videtur, in l. debitor, 82, D. de
leg. 2. Rursus in quæstione de seruitute, vulgata
regula repudiatur à Paulo, Modestino & Mar-
cello in l. si sub vno, 136, §. 1, & l. pen. §. vlt. D. de
verb. obl. l. vt pomum, 8, §. 1, & l. pro parte, 11,
D. de seruit. probari autem videtur ab eodem
Paulo in l. pluribus, 140, §. 1, & l. 2, §. ex his igi-
tur, D. de verb. obl. Nam Paulus in d. l. pen. tres
proponit casus, quibus stipulatio non corrumpit:
quorum primus est, cùm is qui viam stipu-
latus est, duos heredes reliquit. secundus, cùm
is qui dum solus fundi dominus erat, viam sti-
pulatus est, sed postea partem eius fundi aliena-
uit. tertius est, cùm idem fundi seruictis partem
acquisiuit. De primo casu dubitari non potest,
propter l. heredes, 25, §. an ea, D. fam. erc. l. viæ,
17, D. de seruit. ubi si stipulator deceperit, pluri-
bus heredibus relictis, singuli solidam viam pe-
tunt. Ex quo consequitur, stipulationem viæ in
casum duorum eiusdem fundi dominorum de-
ductam non corrumpi, siue extingui. Vtique
enim verbo promiscuè Paulus & Modestinus
vtuntur. Quantum ad casus in sequentes perti-
net, ubi de sociis agitur qui pro parte vel acqui-
runt, vel alienat: illud constat, Rem indiuiduam

pro parte acquiri nō posse.d.l.viæ,17.D.de seruit. Quare vñus ex sociis fundi communis neq; acquirere, neque imponere seruitutem potest. l.per partes,ii,D. de seruit. l. pen. §. 2, De verb. obl.l.si vñus,19,de seru.rust.l.vñus,34, eod.Nūc de alienata parte yideamus. Nam si is qui ad suum fundum viam stipulatus est, totum fundū alienet,Catonis regulā seruatur:vt stipulatio euaneſcat. quoniam neque sine prædio acquirere seruitutem potuifſet, neque emptor ex alterius stipulatu agere.l.existimo,98,D.de verb. oblig. Sed si partem dntaxat alienet, hoc caſu adhibenda diſtinctio eft. Nam si seruitus nondum conſtituta, ceſſa quæſita eft, ſed tantum ex stipulatione debetur, quoniam acquiri seruitus pro parte non potest, parte prædij aliena, stipulatio euaneſcit.l.pro parte,ii,D.de seruit.l.si ſub vna, 136,§.2,D.de verb. oblig. ſi verò iam acquisita & conſtituta eft, alienatione partis fundi non extinguitur: quoniam pro parte retineri potest l.pen. §.1,D.de verb. obl. Diuerſitatis cauſa hæc eft: quoniam ea demū ſuperueniente vitio corrumptur, quæ propter illud vitium explicari, hoc eft, exitum & effectum fortiri, non poſſunt. velut in illa prædij alienatione.nam qui alienato prædio seruitutem stipulatur, cùm acquiri seruitus ſine prædio non poſſit, nihil agit. l.1,§, ideo,D. commun. præd. At retentio seruitutis pro parte prædii fortiri effectum potest. quoniā ipſo iure etiā ſine vſu retineri potest: ſicuti poſſeſſio rerum corporalium ſolo animo retine-

tur.l.generaliter,9,D. de acq. poss. Hæc eadem sententia probatur in exemplo l. 5, D. de bon. damn.vbi deportatio non dissoluit matrimonium:fauore certè singulari, cùm deportatus ciuitatem amittat:matrimonium autem non nisi inter ciues consistat. At eandem illam sententiam Vlp.repudiat in l.si à me, 11,D. de iudic. l. huic scripturæ,15,& l.seq. D. ad l.Aquil. §. 2, de inut.stip.Paulus l.inter stipulatæm, 83,l. 25,qui, 51,de verb.obl. Marcianus in l.quia in eum, 16, D.ad leg.Aquil.Deinceps quæ priori sententiæ obiiciantur, videnda sunt. Primum obiicitur l. cùm vir,42, D.de vſur.& l.pen. D. de fund.dot. Sed intelligendum est, venditionis duo esse extrema:vnum in obligatione vendentis, alterum in acquisitione emptoris.nam alienæ rei venditionem ex parte vēditoris valere, propter ipsius obligationem , constat. l. rem alienam , D. de cont.empt. Quare cùm illo extremo venditio niteretur,& statum cepisset: nihil ei hæc aduersatur regula : quæ de iis est , quæ statum omnino non ceperunt.Secundò obiicitur l.stichum, 95, §. aditio , D. de solut. vbi ciuilis obligatio quæ ab initio inanis erat , ex postfacto confirmatur.vt in herede fiduciario , qui postea fidei-commissario successit: itémque in muliere quæ eius pro quo intercesserat heres fuit. Sed vtraq; obligatio constituta fuerat ab initio,statumq; certum & stabilem ceperat : tantum propter exceptionem effectum non habebat:quæ exceptio postquam aditionis iure sublata est , non

conualeſcit obligatio quæ ab initio fuerat inutilis: sed quæ vtilis fuerat sublato impedimento vim suam exerit. Postremò obiicitur l. 4, D. de rit. nupt. vbi minor annis duodecim nupta, tunc legitima vxor futura dicitur, cùm apud virum explesſet xii annos. Sed ex verbo Explesſet satis significari arbitror minorem annis xii dici à Pomponio, quæ duodecimum quidem annum ingressa, nō autē egressa fuerat. quod in pubertate requiri satis conſtat ex §. 1, Quibus mod. pa&t. pot. Denique errorem fuisse necesse est, vt in l. pen. §. vlt. D. quod fals. tut. & l. cùm hic status, 32, §. siquis, 20, D. de don. int. vir. & matrimonij fauorem tantum esse, vt propter exigui temporis defectum non rescindetur: siue iam annum xii attigisset, siue non attigisset: sed parum admodum ab eo abeſſet. nā error in multo minore esse non potuifſet. Singulare igitur hoc fuit in matrimonio, propter eius fauorem & per exigui temporis interuallū. Eiusque rei exemplum est in l. Proculus, 67, D. de iur. dot. vbi liber ancillam quam liberam putabat vxorem duxerat, dotemque acceperat: & statuitur, si ea manumissa fuerit, dotem quidē ex postfacto confirmari nō posse: matrimonium autem ex manumissionis tempore initiū sumpturum. Itaque nihil aduersatur l. eos qui, 65, D. de rit. nupt. quam Gordianus citat in l. etſi, 6, C. de nupt. vbi matrimonium contractum in prouincia ab eo qui officium gerebat, si deposito officio in eadem voluntate perſeuerarit,

iustum efficitur. non enim retro iustum effici dicitur, sed ab eo demum tempore quo depositum officium est. qua de caussa liberi antè nati legitimi non sunt, sed ii duntaxat qui postea nascentur. Multo minus aduersatur quod dici solet, cùm alieni numi crediti sunt, si consumantur, condictionem nasci. l. nam etsi, 13, D. si cert. pet. non enim mutuum quod ab initio non valuit, confirmatur: sed ex facto consumptionis condictio nascitur. l. non omnis, 19, §. 1, D. eod.



An filius fideicommisso grauatus detrahere duas quartas possit.

Q V A E S T I O X X X V I I .

VE T V S quæstio est, de qua quid dici in utramque partem possit, considerandum est. Primum ergo illud scire oportet: extare decreatum in c. Raynutius, & c. Raynaldus, de testament. ubi hoc iuris statuitur, ut filius de restituendo grauatus praeter suam legitimam detrahere Pegasianum quadrantem possit: decretumque istud ubique gentium ita comprobatum est, ut Baldus in consil. C. 19: Pepus Nicolutij, num. 3, tom. 2, testetur, id toto terrarum orbe & in scholis & in iudiciis obseruari. quod idem scribit Guid. Pap. quæst. l. i. licet doctores numer. i. ubi multorum testimonia enumerat: & praeter illos Angel. in l. coheredi,

§. cùm filiæ, D.de vulg.& pupill. Phil. Dec.cō-
fil. C C L X I X . consil. D C L X X X V I I I . ad con-
firmationem.num.8.tom.3. Angel.l.in ratione,
§. quod vulgo,D.ad leg. falcid. Philipp. Corn.
& Fulgos. in l. quanquam , C. ad legem falcid.
Huius autem sententiæ argumentum(quod nō
dum à quoquam prolatum esse animaduerti)
sumi potest ex l. 2, in fin.& l. 3, §. item Pompo-
nius, D.ad Trebell.vbi duarum quartarum de-
tractio perspicuè conceditur . cùm enim heres
ex quadringentis quibus testatoris patrimo-
nium constabat, trecenta legatariis dare iussus
esset, hereditatem verò alicui restituere : scribi-
tur eum de legatis, septuaginta quinque, quæ il-
lorum quarta est, detracturum: de fideicommis-
so verò, vigintiquinque. vt facile appareat , du-
plicem detractionem, duásque quartas permit-
ti. Secundum argumentum sumi solet ex eo,
quòd istæ duæ quartæ vario ac dissimili ex iure
pro manat. legitima nempe, ex iure naturæ: Tre-
bellianica, ex S.C. eámque ob caussam alteram
alteri obesse nō oportere ; quemadmodum vi-
demus prælegata non imputari in Falcidiā:
sed heredem & ea ex testatoris beneficio, & Fal-
cidiam ex legis auctoritate obtainere. l.in quar-
tam, D. ad leg. falcid. Tertium ex eo ducitur,
quòd legitima detrahitur tanquam à filio: Tre-
bellianica verò tanquam ab herede scripto.ni-
hil autem absurdī esse, si vñus atque idem du-
plicem personam sustineat , & ex duplii per-
sona geminum emolumentum consequatur. l.

tutorem, D. de his quæ vt indig. l. i, in fi. D. si à parent. Quartum suppeditat l. quoties, 68, D. ad leg. falcid. vbi duplex deductio ex duplice deduci caufsa conceditur. cùm enim alicui plus esset legatum, quàm quantum capere liceret: prius deducenda Falcidia dicitur, tum deinde lex Iulia. Quintum inducitur ex l. quanquam, 10, C. ad leg. falcid. vbi cùm filius de fideicommisso mortis suæ tempore restituendo grauatus esset, respondetur, heredem eius Trebellianicam detracturum. nam si filius suam iam antè legitimā retraxerat, vt ei ordinario iure licuit: apparet duas quartas vna ex hereditate deductas fuisse. Sextum omnium acerrimum suppeditat. l. Papin. 8, §. meminisse, D. de inoff. test. vbi Papinianus scribit, filium fideicommisso grauatum, si in officiosi egerit, & non obtinuerit: id solum perdere, quod Falcidiæ iure habiturus erat. vbi Falcidiæ nomen pro legitima usurpari constat: quemadmodum in §. vnde si quis, ead. l. nimirum vt extremum paragraphi cum initio conueniat: Filium in officiosi damnatum perdere quod ei testamento relictum erat: hoc est, partem legitimæ. nā ex contrario videmus ita recte argumentari posse: si qui questus est, nec obtinuit, legitimam amittit: sequitur vt is qui questus non est, sed contentus testamēto quietuit, eam habeat. quòd si & Trebellianicam & legitimam habeat, duas quartas eodem testamento retineri. Sed videamus ne & plura & certiora multo afferri contraria ex parte possint.

Nam

Nam primùm omnium Pontificali auctoritati opponitur natura rerum & sensus communis. Assis enim ratio & natura hæc est, vt eius vna aliqua parte nominata, altera necessariò intelligatur. quippe cùm ex eorum numero sit, quæ dialectici ~~et~~ nominant. Itaque quoties quadrantis detractio nominatur, toties dodrantis reliquatio intelligitur: neque quisquā detrahere quadrantem dicitur, nisi ei soli cui superstes ex aſſe dodrans relinquuntur. quod cùm ita sit, quæro si filius qui iam legitimarium quadrantem detraxit, insuper velit alterum Pegasiani nomine detrahere, quemadmodum dodrans fideicommissario relinquere possit? Nam Falcidia lex relinquere omnino dodrantem volebat: summāque testandi libertatem lege xii tab. constitutam ea in parte confirmabat. l.i.D. ad leg.falcid. vt facile appareat, non tam quadrantis detrahendi, quām dodrantis relinquendi rationem habendam esse. quippe, cùm hæc reliquatio lege xii tab. primūm instituta, pōst etiam Falcidia lege confirmata & constabilita sit. Eiusdē modi alterū argumentū est. nam cùm quadratis detractio sit priuatio: & priuatio presupponat habitum, vt nostri loquuntur: hoc est, detractio rem subesse arguat: satis constat, inde duntaxat quadrantem detrahi, vbi redundat: hoc est, ab eo cui plus dodrante superat. Quod si filius qui legitimam detraxit, Pegasianū quadrantem petat, quæro an ab eo petat cui plus dodrante superat. Ac nimirum hoc illud est,

quod vulgo dicitur , quartæ detractionē ei demum concedi , qui supra dodrantem grauatus est . sed quia , De fideicom . hered . vbi dicitur , Senatum censuisse , vt ei qui rogatus esset hereditatem restituere , perinde liceret quartam partem retinere , atque ex lege Falcidia ex legatis retinere conceditur . Quoties igitur heres supra dodrantem grauatus non est , sed ei quadrans hereditatis quoque iure , siue institutionis , siue præceptionis , deductionis , retentionis , siue legati , siue mortis caussa capionis relictus est : sequitur vt quartam petere non possit . I . in quartam , D . ad leg . falcid . Itaque cum heres legitimam adeptus est , satis constat , eum supra dodrantem grauatum non esse : ac proinde petere Falcidiæ beneficium non posse . Tertium argumentum ducatur ex aliarum quartarum inductione . nam in reliquis omnibus hoc perpetuo videmus esse iuris , vt vnius adeptio alteram excludat . Cuius rei tria exempla suppeditat , I . Papinianus . D . de inoff . test . Primum est in § . quarta autem : vbi filius qui Falcidiam ex legatis adeptus est , ab inofficiosi querela depellitur . Alterum in § . vnde si quis : vbi filius Pegasianam ex fructibus cōsequutus similiter ab inofficiosi actione excluditur . Tertium in § . si quis impubes : vbi nepos ex filia impubes ab auro arrogatus , & exheredatus , quoniam ex constitutione D . Pii , quartam habet , à querela remouetur . Cui consentaneum est quod traditur in I . I , § . pen . D . si cui plus quam . vbi patronus qui in liberti

bonis partem habet legitimā, si eam detraxit, à Falcidia petenda depellitur. Quartum inducēdum est ex Nouell. x x x i x , de rest. & ea quæ par. cuius verba, Iuliano interprete, hæc ferè sunt: Si quis vnum ex liberis heredem instituerit, & rogauerit eum, ut cùm morietur aliis restituat hereditatem: primū quidem legitimā portionem, nempe trientem, sibi retineat: certas autem partes fideicommissario restituat integras. Itaque Barth. in eum locum scribens, num. i, Nota, inquit, filium fideicommisso graduatū non posse duas quartas detrahere, sed unam tantū. Quintum est ex l. iubemus, 6, C. ad Trebel. vbi Zeno statuit, ut filius portionem suam hereditariam fratri restituere rogatus, tenta ex s. c. beneficio quarta, dodecātem restituat. quo quid apertius dici potuit? Neque nos moueat quod suprà diximus Iustinianum de legitima statuisse. cùm enim eius summam auxisset, & è quadrantaria trientaria fecisset, non dubium est quin filij iam non amplius Pegasiānam, sed legitimam potius petituri sint. Sextū sumitur ex l. quoties, D. de reg. iur. quoties duplii iure defertur alicui successio, repudiato nō uo iure superat vetus. non enim duæ cauſæ lucrativæ in eundem hominem & eandem rem concurrunt. §. si res aliena, de legat. l. omnes, 17, l. ex promissione, 19, D. de obligat. & act. & non vt ex pluribus cauſis deberi nobis idem potest, ita ex pluribus cauſis idem peti potest. l. non vt ex pluribus, D. de reg. iur. Cùm igitur R. ij.

quadrans successionis nomine à lege attribuat-
tur, qui eum semel ex vna caussa adeptus est, si
eundem ex altera caussa petat, doli exceptione
vulgata rectè remouebitur. habet enim quod
petit. l. 2, D. de doli except. Neque nos moueat,
quod Bald. in d. l. quāquam & plerique omnes
dictitant, legitimam non ex lucrativa caussa de-
ferri, sed quasi naturę iure deberi: ex textu quē
falso nobis obiiciunt, ex l. si quis legatum, 6. §.
vlt. D. de fals. sed habebant textum directum in
l. 1, C. de impon. lucrat. descript. & l. scimus. 35, §.
illud præterea, C. de inoff. test. Quia vt maximè
illis concedamus legitimam naturae iure debe-
ri, cùm tamen constet, non quartam, sed solidam
hereditatem liberis deberi: d. l. 1, & l. vlt.
D. de bon. damnat. tamen non si quid dupli-
caussa debetur, dupli ex caussa solidum pe-
ti & obtineri potest. l. 3, D. de petit. heredit.
l. si seruus, 108, §. stichum, D. de leg. primo.
Cùm igitur nostri propter huiusmodi argumē-
ta de illius pontificalis decreti æquitate dubi-
tare cœpissent, vetere suo instituto ad concilia-
tionem sophisticam perfugerunt: vt si filius pu-
rè fideicommisso grauatus esset, vna tātūm de-
tractione vteretur: quasi vno eodemque tem-
pore concurrere duplicis quadrantis detractio
non possit, vtpote à sensu communi, (vt supe-
rius diximus) aliena: sī autem in diem, vel sub
conditione, tum legitimam quidem statim de-
traheret: existente die aut conditione, Pegasia-
nam. Et huius distinctionis non reperio vetu-
stiorem auctore Azone, qui in summa Nouell.

I. cōmentum illud tradit. & ei suffragatur gloss. in d. §. meminisse, D. de inoff. test. & item in l. quanquam, C. ad legem Falcid. & in auth. de he red. & falcid. §. is igitur, vers. si quis verò non implens. Rursus altera gloss. in d. Raynutius, ubi hanc dicit esse communem opinionem. Sequūtur Fulgos. & Corneus in d.l. quanquam: ubi v- terque ait, Azonis tempore distinctionem illā seruatam fuisse tanquam euangelium. Barth. in d.l. quanquam, C. ad leg. falcid. & rursus in consil. v i, viso testamēto. & consil. x ii, si quis insti tuatur. Philipp. Corn. consil. c x i i i, in hac cō sultatione. num. 3, & 4, tom. 4. Barth. Socin. cō fil. x x x i i i, prosequendo ordinem: num. 14, tom. 1. & rursus consil. x x x i. viso testamento. num. 9, tom. 4, & consil. l x x x i i, in caussa ver- tente. num. 3, eodē tom. Petrus de Anchar. consil. x x v i i. non seruato. num. 3. Verūm vt remo- tis auctoritatibus rationis momenta paululum exquirāmus: velim mihi respondeant, primūm cuius legis auctoritate freti ius istud nouū in- ducre audeāt: cūm toties in ore habeant, eru- bescendum si quis sine lege loquatur? deinde si rerum natura non ferat, (quemadmodum ipsi quoque fatentur) vt quadrantes duo detrahan- tur, quæro quemadmodum eadem ferre pos- sit, vt distinctis temporibus id fiat. Præterea quid si filius illico post patrem decederet, aut resti- tuere confessim hereditatem vellet, quis vnquā istorum monuit, duos quadrantes isto casu de- trahi non posse? Itaque non mirum est Baldum

in d.l.iubemus, C. ad Trebell. scribere, distinctionis istius rationem quidem apparētem esse aliquam, sed nullam existentem:quia iuris ciuilis veritati aduersatur.& Paul. de Cast. in eadem l,distinctionē illam iure ciuili falsam esse. Quin etiam glossa in d. c. Raynutius , apertè profiteatur, superiorem illam Canonistarum sententiā, communi & mente &, voce Ciuilistarum repudiatam esse:vbi in ista parte Iacobum de bello yisu numerat. sed omniū accerrimè Canonistas oppugnat Oldrad.in consil. c c v. prima dubitatio.num.3,vbi liberè profitetur, istam de duabus quartis sententiam aduersari rationi, veritati,& expresso iuri.hæc enim illius verba sunt. Fulgosius autem in d.l. quāquam C.ad leg. falcid.eam ex falso iuris intellectu processisse: idemque & Cynum & Dinum sensisse. Petrum autem terribiliter in Canonistas insurrexisse. Qua de caussa Philipp. Corn.in d.l.quanquam, ascribit,cùm illa decreta ex malo intellectu iuris ciuilis processerint, illa esse seruanda in illorum foro:at in foro ciuili seruandum esse ius ciuile : idēnq; & Petro & Dino placuisse, omniū autem copiosissimè Ciuilistarum sententiam contra Canonistas tuetur Alexander in consil. C X L I I . circa primam dubitationem. num. 9, tom.2.vbi dicit hanc partem esse communem: nec illam Canonistarum decisionem ibi seruādam esse, vbi ius ciuale seruari debet.item in cōsil.I, circa primam dubitationē. num. 10, 11, 12, tom.6.vbi ait,naturam quartarum hanc esse,vt

altera in alteram imputetur, & profitetur se au-
ctores habere Dinum, Jacob. But. & Odofre.
Quamobrem videtur est, quemadmodum su-
perioribus argumentis responderi possit. nam
quod ad Pontificalem auctoritatem attinet, nos
ei & naturam & sensum communem opposui-
mus: duarum scilicet quartarum detractionem,
& ex altera parte dodrantis reliquationem, ne-
que fieri, neque vlla humani animi intelligētia
concipi posse. Ad primum autem argumentum
respondendum est, duplēm quidem eo loco
detractionē esse: de legatis scilicet, & fideicom-
missō. sed si assēm hereditarium consideremus,
vnius quadrantis duntaxat. cūm enim quadrin-
genta tantū in hereditate essent, qui septua-
gintaquinque de trecentis legatis, vigintiquin-
que rursus de centum fideicommissariis detra-
hit: nihil aliud quām centum (qui assis quadrās
est) detrahit. Ad secundum respondendum est,
non duas detractiones eas esse: sed vnicam dun-
taxat. quod enim prælegati nomine heres ca-
pit, non detractionis iure, sed tanquam ex me-
ro testatoris beneficio id accipit. nos autem de
duarum detractionū iure quārebamus. Ad ter-
tium respondeatur, primū ex d.l. Papinianus,
§. si impubes, vbi impuberi arrogato duæ quar-
tae vario & dissimili ex iure deferebantur: nimi-
rum vna ex constitutione D. Pij, altera ex lege
Falcidia. & præterea unus atque idem duas per-
sonas sustinebat, arrogati & filij. deinde ex d.l.
i, §. penult. D. si cui plus quām vbi patrono qui

R. iiiij.

similiter & patroni & heredis personam sustinebat, vna ex lege Julia, altera ex lege Falcidiæ detractio defertur. Sed tamē quia bis idem deberi dupli ex iure non potest, vnius quadrantis adeptione ab alterius petitione per doli exceptionem remouetur. Similiter igitur in proposito, quando ita Doctoribus nostris placet, duas quartas vario & dissimili iure deferri, optionem earum filiū habiturū, vtro iure alterutram velit consequi: sed non ytranq; tamen cōsecuturum. l. cūm filius, 76, §. variis, D. de legat. sec. l. i, §. quia autem, D. quod legat. Atque hæc quidem (vt dixi) responderi sic possunt, vt maximè concedamus duas istas quartas ex vario & dissimili iure promanare. Docuimus enim alio loco, tres quartas, & eam scilicet quæ de legatis, & eam quæ ex institutione, & eam quæ ex fideicommisso detrahitur, uno ex fonte & capite legis Falcidiæ fluxisse. qua de caussa vnāquaque earum passim Falcidiæ nomine promiscuè appellari. vt in d. l. Papinia. §. vnde si quis, & §. meminisse. Ad quartum autem animaduertendum est, in l. quoties, nō esse duas detractiones, sed vnam duntaxat: nimirum Falcidiam. quod enim ob legatarii vitium quia solidum capere non poterat, cecidit, non id heres sibi colligit: sed si patrimonii quantitas tulisset, ad filium, vt caducum, ex lege Julia Papia delatum fuisset. l. si is qui ex bonis, 6. D. de vulg. & pupill. l. si quis solidum, 72, D. de hered. instit. Ad quintum autem iam antè responsum est ex l. iubemus, C. ad

Trebel. antiquo iure, hoc est, antè auctam à Iustiniano legitimæ quantitatem, liberos fidei-commisso grauatos Pegasianam detraxisse, & dōdrantem restituisse: legitimam autem non detraxisse, patet etiam ex l. coheredi, §. cùm filiæ, versic. quod si heredem, D. de vulg. & pupill. Supereft sextum, quod omnium acerimum esse diximus. in quo illud intelligi oportet, antiquo iure, hoc est ante Expletoriam actionem à Iustiniano introductam per l. omnimodo, C. de inoff. test. filium querela nō vtente nihil planè aliud ex patris hereditate obtinuisse, quām quod ei nominatim relictum ab eo fuerat. quare siue filio isti nihil erat relictū, nihil(omissa quidem querela) omnino habiturus erat: siue quid ei relictum fuerat, totum ei in Pegasianam imputabatur: vt ex l. in quartā, D. ad legē Falci. superius ostendimus. ac proinde vtrocumq; casu vnicam duntaxat quartam consequebatur. Atque hoc quidem modo superioribus argumentis abundè satisfactum esse arbitramur. Quod autem ii qui nostram hanc sententiam tuentur, afferre solent ex l. filium quem, C. famil. ercisc. vbi scribitur, filium quod supra quartam adeptus est reddere compelli: planè extra quæstionem nostram est: quemadmodum in Iurisconsulto nostro, vbi eius interpretationem posuimus, satis dilucidè diximus. Illud verò nullo modo prætermittendum est, singularem quendam casum reperiri, quem etiā video animaduersum à Fulgosio in d. l. quan-

quam, C. ad legem Falcidiam. quo casu duarū quartarum detractio summa ex æquitate permetti potest. nimirum cùm filiam cui pater dotem legitimæ suæ parem attribuit, heres postea instituta & restituere grauata est. tum enim præter legitimam (in quam imputari dotem cōstat ex l. quoniā nouella, 29, C. de inoff. test.) æquissum videtur, vt Pegasiana in reliqua summa restituenda ei permittatur. quippe , cùm id demum in hereditate numeretur, quod mortis tēpore in defuncti bonis fuit, neque inter viuos alienatum est. l. sequens quæstio, 68, D. de legatis secundo. Quod enim Zeno cōstituit, vt dos in legitimam imputetur, vnde quodammodo ad partem hereditatis reuocari videtur: totum istud ex fictione est, quæ contra ordinarii iuris rationem propter querelæ odium inducta est. vt in fin. d. l. quoniam nouella, disertè traditur. dotem enim reuera extra patris hereditatem esse, constat ex l. pater filiam, 14, D. ad legem Falcid. l. à filia, 62. D. ad Trebell. Quod verò contra iuris ordinarii rationē constitutum est, produci ad consequentias non oportet l. quod verò , 14, cùm duabus seqq. & l. nulla iuris ratio, D. de legibus. Sed iam ad consultationem alteram veniendum est, qua pro corollario quæsitū est: Si tamē filio suę legitimę & item Pegasianę detractio propter receptę consuetudinis auctoritatem permittenda esset, quotam hereditatis partē ambæ simul ablaturæ essent. nam communi Pragmaticorum consensu receptum

est, primùm ex esse hereditario quatuor vncias, trientis legitimarii nomine, detrahendas: tum deinde ex reliquo besse quartam, quæ duæ sunt vnciæ. Ita sex vncias filium duarum detractio-
num nomine sibi habiturū. sic enim video hanc
rem explicare Bald. Fulgos. & Philipp. Corn.
in l. quanquam, C. ad leg. Falcid. & huius suæ
sententiæ rationem hāc afferre, quia cùm fidei-
commisi grauamen cadere in legitimam non
possit, l. quoniam in prioribus, 32, C. de inoff.
test. consentaneum esse, vt filius hereditatem
restituere rogatus, non nisi de besse restituendo
rogatus esse videatur. Potuissent fortasse haud
paulo aptius proferre exemplum ex l. quoties,
67, D. ad leg. Falcid. vbi traditur, cùm duæ sub-
ductiones locum habent, veluti cùm plus ali-
cui legatum est, quām capere possit, prius Fal-
cidiam detrahi: tum in reliquo secundam sub-
ductionem admitti. veluti si qui centum habe-
bat, centum orbo alicui legauit: heres prius de-
trahet Falcidiæ nomine, viginti quinque: tum
deinde ex reliquis septuaginta quinque, filius
dimidiam partem auferet. l. i, C. de infirm. pen.
cœlib. Sed videamus ne ratio ista conuenire in
Pegasianum quadrantem possit. Nam vt de le-
ge Papia prius differamus, cùm illa de dimidia,
aut decima, aut alia parte locuta est: non de
assis hereditarii parte locuta est: sed de quauis
summa testamento alicui relictæ. Lex autem
Falcidia, quam Pegasianum s. c. fecutum est,
nominatim his vtitur verbis: N E M I N V S

QVAR TAM HEREDITATIS PAR-
T E M. vt Pegasiana quarta non ad aliam vllam
summam nisi ipsius assis solidi hereditarij re-
ferri possit. Quod cùm ita sit, perspicuum esse,
Canonistas nostros falso, perperam, & contra
diserta legis Falcidiæ verba Pegasianum qua-
drantem ad bessis reliqui rationem referre. vt
omittam, quod ne natura quidem patitur, qua-
drantem ad bessem referri. cùm enim quadrans
nominatur, non bessis quadrans nimirum, sed
assis solidi quadrans intelligitur. ex quo con-
cluditur, si filio isti præter suam legitimam Pe-
gasianæ detractio permittenda esset, ei septem
vncias ex asse hereditario erogadas esse. Ad il-
lam autem rationem l. quoniam in prioribus,
satis argutè excogitatam, respondendum est:
non si legitima priuilegium illud habet, vt fidei
commisso grauari non possit, iccirco tamē mi-
nus in asse hereditario numerādam esse: & par-
tem eius facere. neque enim conditio illa facit,
vt extra hereditatem numerāda sit. Quare cùm
legitima partem assis hereditarii faciat, sequi-
tur vt lex quæ de quadrante hereditatis loqui-
tur, de quadrante totius illius summæ solidæ
& integræ intelligatur. Quod si quis diceret, fi-
lium propterea duas tertias, hoc est bessem, de-
tracturū, quia Iustinianus non tātūm eam por-
tionē auxit, quam filius habet vt filius, sed etiā
eam quam habet vt scriptus: haud scio, an satis
hæc sententia probari possit. nam etsi verum
est, Iustinianum auxisse filii legitimā, siue heres

scriptus sit , siue non sit:tamen nunquam eam auxit nisi tanquam filio:neque distinxit vtrum scriptus sit, an non sit.deniq; hoc perspicuè aduerfatur Nouel.xxxix.de restit.vbi Iustinianus nominatim loqués de filio herede scripto,& restituere rogato : statuit eum detracta legitima (quę iā,inquit,non quarta est,sed tertia)reliqua omnia redditurū. Deniq; ,vt isti perplexæ quæstionis finē imponamus,arbitror de ratione duplicis detractionis ita constituendum esse : vt si quidem vnum filius est,de principio trientem legitimę suę nomine detrahat:pōst deinde,quia idem ille triens partem hereditarij assis facit,& in hereditate numeratur,tres insuper vncias,ac proinde septuncem auferat. Quod si Græcorū instituto ad cētesimam rationem reuocare hāc disputationem volumus : si quidem vnum sit filius,primùm triginta tres aureos & vnius trientem detrahit : deinde Pegasianæ nomine insuper viginti quinque ,vt ipse quinquaginta octo cum triente auferat: restituat vnum & quadraginta cum vnius bessē. Sin autem duo sint filij, & in bonis sint sexaginta,pater autem suo iure v̄sus primo suam solam legitimam attribuat, hoc est decem:alteri verò,dodrantem hereditatis, hoc est quinquaginta: tum hic secundus de portione sibi ab intestato cōtingente, quæ fuit triginta, detrahet legitimę nomine decem:pōst deinde quasi hāc legitima adhuc in hereditate sit , detrahet duodecim & quad antem duorum. Atque hāc quidem ita se habent. quo-

niam tamē error iste Canonistarum passim toto ferè terrarum orbe ius fecit: haud scio an consultius facturi simus, si quamminimo nos ab illorum litibus redimamus: & pinguem illam subducendi rationem, de qua superius diximus, placidè sequamur.



S E Q V I T V R D I S P V T A T I O
eiusdem auctoris contra c. Raynutius, ext.
de testam. Habita Biturigæ anno

M. D. L X V I I.

Kal. April.

E N V N T I A T I O N E S E X
d.c. Raynutius.

I.

Ex bonis filiæ quæ restitutioni obnoxia sunt, possunt et mater et auia paterna suas legitimas detrahere.

II.

Mater et auia paterna spem suæ legitimæ in bonis superstitis filiæ quæ restitutioni obnoxia sunt, uendere extraneo et donare possunt.

III.

Cùm mater et auia paterna suas legitimas de unius filiæ bonis detraxerunt, altera filia de iisdem legitimis suam legitimam detrahit.

IV.

Fructus ab heredis fiduciarij successore post litem contestatā perceptū, ei in suam Pegasianā imputatur.

V.

Cum auia et mater suas legitimas de bonis filiae restitutio*n*i obnox*ij*s detrahunt, ipsa quoque filia sibi detrahit: ac proinde tres legitimae a tribus diuersis personis detrahuntur.

VI.

Heres filiae de restituendo grauatæ præter legitimam etiam Pegasianam detrahit.



A R G U M E N T U M I N

d.c.Raynutius, de testam.

HERES eius filiae, quæ portionem suam hereditariam, cum morietur, sorori suæ restituere iussa est, legitimam simul et Pegasianam detrahit. Filiæ autem et mater et auia paterna, suas illa superstiti spe-ratas legitimas alienare in extraneum pos-sunt: ita tamen ut altera filia fidei-commissaria suam quoque de illis legitimam de-trahat.

A V S S A E cōstitutio hæc est. Ray-nutius cum duas filias Alterochā & Adiectam haberet, vtranq; he-redem instituit: simūlq; Adiectam rogauit ut si sine liberis decederet, portionē suam moriens Alterochæ sorori resti-tueret. Ita Raynutius decedit: uxore Adela-sia, & matre Clera superstitibus relictis. Eo mor-

tuo, Adelasia & Clera quæ legitimas suas in Adiecta portione, si ea sine liberis decederet, sperabant: spem illam Adiecta marito vendiderūt. Post Adiecta sine liberis decedens, Petrucium maritum heredem instituit. Cum enim & Pegasianam & legitimam detrahere dicatur: necesse est eum heredem institutum intelligi. I. quantum, 10. C. ad leg. Falcid. Ita fideicomissi dies Alterochæ cessit: de qua quæsitum est, quota ei pars illius portionis hereditariæ restituenda esset. Posterior iudex adhibitus statuit, ut primum omnium duæ illæ tertiae quæ legitimariæ portionis nomine Adelasia & Cleræ debebantur, & Petrucio venditæ fuerant, à Petrucio deducerentur: ita tamen ut Alterochæ sua in iis legitima seruaretur. tum deinde, ut idem Petrus debitam adiecta legitimam detraheret, ac postremò, Pegasi S.C. nomine quadrante. His detractis, reliquum Alterochæ restitueretur. Quod sane cuiusmodi sit, coniectura assequi non possum. nam ut perspicuitatis caussa, ex iuris antiqui ratione, quadranta: ias omnes detractiones fingamus: cum Adelasia tres vncias, Clera item tres retraxerit: post Adiecta legitima tres quoque abstulerit, totidemque ad extremum eiusdem Pegasi: ecquænam portio Alterochæ restitui poterit? Sed prius noua iuria omnia quæ per hanc sententiam consti-
 tuuntur, consideranda sunt. Sex enim illorum capita licet animaduertere: quorum primum illud est.

Ex bonis filiæ quæ restitutioni obnoxia sunt, possunt & mater & auia paterna suas tertias detrahere. Tertias autem, si ad iuris ciuilis rationem spectemus, non alias quam legitimas interpretari possumus: quare huic enuntiationi multa perspicue aduersantur. Nam primùm omnium, vbi mater & auia paterna filio moriente superat, soli matri, utpote proximæ, successio defertur: auia exclusa. Nouell. c x v i i i, §. 2. Cōstat autem legitimam hereditatis ab intestato partem esse. l. parentibus, 8, cum similib. C. de inoff. test. ac proinde, iisde personis, quibus illa defertur; eodemque ordine deferri. Nouell. x v i i i, §. 1, & §. 2. Præterea etiam si & mater & auia simul admitterentur: tamen non singulis, trientes singuli, legitimæ nomine: sed ambabus unus tantum attribueretur. §. vlt. De inoff. test. Iam verò cum legitima matri deberi dicitur, de hered. quæ filiæ propria est, deberi intelligitur: quemadmodum cum filio deberi dicitur, de patris hereditate intelligitur. Atqui hereditas ista non erat Adiectæ propria, sed Raynutii, qui eam per fideicommissum Alterochæ destinauerat: & notū est, hereditates fideicommissarias semper testatoris hereditates dici. l. coheredi, 41, §. qui filiæ, D. de vulg. & pupil. subst. ex quo intelligitur, nihil ex ista hered. neque matri, neque auiae, legitimæ nomine, deberi potuisse. Huc accedit, quod legitima ei demum conuenit, cui hereditas ab intestato debebatur. hæc autem hæreditaria portio à filia

S.j.

intestatò mortua, neque ad matrem, neque ad auiam peruenire poterat. Patris enim Raynutij testamēto Alterochæ destinata fuerat. Eodem pertinet, quòd legitima nulli, nisi institutionis iure, debetur: neque ab alio quam ab herede instituto peti potest. Nouell. c x v, §. 3. Quare cùm neque Adelasia mater, neque Clera auia paternā heredes institutæ essent, neutra earum petere legitimam potuit. Neque ad rem pertinet, quòd legitima de bonis restitutioni obnoxias filia mortua, per ipsius her. detrahitur. Tum n. ipsius filię nomine detrahitur. quemadmodū hac quoq; in caussa posterius videbimus constitutū esse, vt detrahatur. Nunc autem mulieres istæ, non filiæ, sed suo ipsarum nomine detrahunt.

Sécundum ius nouum, quod hac sententia cōstituitur, est huiusmodi: Mater & auia paterna spem suæ legitimæ, in bonis superstitis filiæ, quæ restitutioni obnoxia sunt, vendere extra neo & donare possunt. Cùm enim Petrucij liberis hæc omnia & eorū tutoribus adiudicentur: perspicuum est, alienationes illas, quæ à matre & auia factæ dicuntur, confirmari. Quæ de re ita disputari potest. Primùm, quòd isto modo venditio hereditatis viuentis confirmatur: contra l.l, cum similibus, D. de hered. vel act. vend. vbi Vlp. ait propterea id non posse, quia venderetur res quæ nulla est, & in rerum natura nō est. quod autem de tota hereditate dicitur, idem de legitima, quæ ipsius pars est, dicendum

esse, constat ex vulg. l. quæ de tota, D. de rei vind. Denique pacisci de legitima viuentis non licere, nemo nescit ex l. si quando, 35, §. i, D. de inoff. test. l. i, §. si impubere, D. de collat. Præterea isto modo pactum quod mali ominis est, id est, quo liberorum spes extinguitur, confirmatur: contra l. inter stipulantem, 80, §. sacram, D. de verb. oblig. nam istius duplicitis trientis sperati veditio, nō aliter rata esse potest, quam si Adiecta sine liberis decesserit. Postrem o absurdum videtur, quod isto pacto, ius legitimæ, quod certis personis propriū est, & in eas propriè conuenit, tamen extraneo ceditur: nimirū Petrucio, Adiectæ marito: cùm tamen ea quæ certis personis propria sunt, cedi extraneo non possint: quemadmodum de usufructu traditur in §. finitur, 3. De usufr. l. si usufructus, 66, D. de iur. dot. de fideicommisso verò, in l. mulier, 59, §. ex asse, D. eod.

Tertium ius est hoc: Cùm mater & auia paterna suas legitimas de vnius filiæ bonis detraherunt, altera filia de iisdem legitimis suam legitimam detrahit. Quo iure constitutum video, detractionem ex detractione cōcedi. nam de matris legitima suam legitimam filia detrahit. quod quam absurdum sit, nemo non videt. nam neque accessionis accessio, neque detractionis detractio usquam conceditur: vt pote cùm hoc contra naturam sit: quemadmodum de usuris usurarum, aut usuris fructuum, aut fructuum fructibus traditur in l. placuit, 29, cū si-

milibus, D. de usur. & de Falcidia in l. pœnales,
§. si Titio, ad leg. Falc. Eodem illud quoq; ac-
cedit, quod ista Alterochæ legitima præcisè &
peculiariter de legitimis matris eius & auia detrahi dicitur. nam si qua detrahenda fuit, non
de illis particulis, sed vniuersè de tota illarum
hereditate, quæ mortis tempore reperta est, il-
lam deduci oportuit. l. cùm quæritur, 6, C. de
inoff test.

Quartum hoc ius est: Fructus ab heredis fiduciarij successore, post litem contestatā percepti ei in suam Pegasianam imputantur. Vbi duplex dubitatio exoritur. Primum enim si fructus ab herede fiduciario quocunque tempore percepti, ei in suam Pegasianam imputantur, l. in fideicommissaria, 18, D. ad Trebell. quanto magis ab eius successore percepti & ante & post lit. contest. imputabuntur? quanquā, quoniam hic casus est de primi gradus liberis, quibus priuilegium à Zenone tributum est, ut fructus illis in suam quartam non imputentur: l. iubemus, 6, C. ad Trebell. propterea de iis qui Adiecta viuente percepti sunt, nihil mutamus: sed eius successorē meliore esse iure, quām quo sunt heredes fiduciarij extranei, nulla ratio est. Præterea singulare quiddam est in hoc controversiarum genere: ut locum non habeat quod in hoc iudicio spectatum est: litis contestatione malæ fidei possessorem effici: ac proinde fructus ab eo postea perceptos imputari: l. 2. cum similib. C. de pet. hered. nam quemadmodum

traditur in l. solidum, 78, D. de leg. sec. ab ea regula excipiuntur causæ, in quibus Falcidia locum obtinet. idque perspicua æquitate. quia possessor nō absolutè & simpliciter restitutio- nem abnegat: sed cum adiectione, si totum restituji petitur. nō enim tota hereditas debetur, sed cum detractionibus legitimis. Eoque pertinet l. 3, D. de usur.

Quintum hoc ius est: Cùm auia & mater suas legitimas de bonis filiæ restitutioni obnoxii detrahunt, ipsa quoque filia sibi detrahit: ac proinde tres legitimæ à tribus diuersis personis detrahuntur. Quod cuiusmodi sit, ex iis quæ in prima enunciatione dicta sunt, satis intellegitum est. nam siue matri legitima debeatur, de filij hereditate ei deberi intelligitur: siue rursus filio debeatur, de parentis. Vtrique autem de eadem hereditate, & matri, inquam, & filiæ, deberi non potest. propterea quod in intestatorum hereditatibus liberorum gradus parentes excludit. Nouella, c x v i i i , §. i. Quare cùm pateat hanc Raynutij hereditatem esse, sola filia legitimam ab ea capiet: matrē verò & auiam prorsus excludet.

Sextum ius est: Heres filiæ de restituendo grauatæ, præter legitimam, etiam Pegasianam detrahit. Quod non modò contra iuris ciuilis rationem, sed etiam cōtra sensum communem institutum fuissc, superius docuimus. vt nō mirum sit, si sententia hæc à iuris ciuilis interpretibus plerisque repudiata sit. Quadrantis enim

detractio aduersus eum solum intelligitur, cui dodrans relinquitur. constat autem, vbi legitimarius triens detractus est, bessem solum superesse. Præterea ex S. C. sententia is demum quadrantem retinet, qui supra dodrantem graduatus est. s. sed quia, De fideicommis. heredit. quod de filio qui suam legitimam retraxit, dici non potest. Denique planissimè refutatur per Nouell. x x x i x. vbi Barth. hoc ipsum fatetur: & per l. iubemus, 6, C. ad Trebell. l. quāquā, 10, l. si vt allegas, II, C. ad leg. Falc. Atq; hæc quidem ita se habent. Cùm autē Glossematarius, huius Decretalis interpres, tantam absurditatem animaduerteret, medicinam quæsiuit. Adscripsit enim probabilius sibi videri, duas illas matris & auix tertias non ex ciuili, sed potius ex Langobardico iure detrahi: propterea quod eo loco vbi earum mentio fit, ita scriptum est: ILLAS tertias deducendas, de quibus deduci poterant, secundum Tuscanæ consuetudinem ciuitatis. Sed videamus, ne si ex eo loco argumentari liceat, tertias illas iure Langobardico detrahi: similiter concludi debeat, legitimæ detractionem quæ Adiectæ deberi dicitur, ex eodem Lāgobardico iure attributam ei fuisse. Vbi enim de illa agitur, ita scriptum est: Legitimam retinendam de his rebus, de quibus secundum Tuscanæ consuetudinem ciuitatis fieri consuevit. Quod quām absurdum sit, nemo non videt. Verūm vt illud omittamus, estne verisimile, tam barbarem, feram & inhumanam in-

Vlla Tuscaniæ ciuitate receptam esse consuetudinem: vt mater, & vxor patris fam. duos de ipsius patrimonio trientes auferant: neque ei liceat suis liberis, quantumuis multis, præter unum trientem relinquere? nam in iis quidem quæ extant Langobardorū legibus, caput hoc, planè contrarium, reperio: tit.3, De vlt.volunt. Si quilibet Langobardus ægrotauerit, potestatem habeat dispensandi de rebus suis quid aut qualiter voluerit: & quod iudicauerit, stabile debeat permanere. Eodē accedit, quòd si qua huiusmodi consuetudo in ista ciuitate valuerit, superius in exponēda caussa mentio aliqua de tertio triente, de quo paterfa. disponere inter liberos poterat, facta sine dubio fuisset: nimurum, Raynutium trientem illum, de quo libere statuere poterat, suis illis filiabus attribuif se. Præterea locus est apertissimus ex quo intellegi potest, duarum illarum tertiarū detractiōnem, de sola hereditaria Adiectæ portione petitam esse. Cùm enim Alterocha restitutiō postulasse dicitur, non dubium est quin eorum tantūm bonorū restitutiōnem postularit, quæ Adiectæ attributa, & relicta, & fideicommissio destinata à Raynutio fuerant. Atqui postea dicitur, licere Petruelio de illis bonis ab Alterocha postulatis, duas illas matris & auiæ tertias detrahere. ex quo perspicuum est, eas non de universo Raynutij patrimonio, sed præcisè de hac hereditaria portione Adiectæ attributa detractas fuisse. Verba autem hæc sunt: Coram

quo Alterocha bona quondam Raynutij tanquam ex caussa fideicōmisi vel substitutionis sibi debita petiit: tutore filiorum ex aduerso dicente, quod de bonis illis tam tertia Cleræ & tertia Adelasiæ vxori eiusdem, quam quarta per Trebellianum nomine ipsius Adiectæ erant ante omnia deducendæ. Quibus ex verbis perspicue intelligitur, tres istas detractiones de iis ipsis bonis sumi, quæ fideicommissi nomine postulabantur: neque aliunde duas Cleræ & Adelasiæ tertias exigunt, nisi vnde Trebellianica pettebatur. nam eodem ex fonte omnes hauriri appetunt: cum Textus eas cōiunctim de certis bonis postulari ostendat: non autem duas ex iure Langobardico, tertiam ex iure ciuili. Sed video quid alicui venire in mentem possit, quod tamen receptæ huius Decretalis interpretationi planè aduersatur. nimirum tertias illas Langobardicas eius donationis caussa deberi, quæ in libro de Feudis, Morganatica: in Langobardorum legibus & Germanorum institutis, Morgengeba vocatur. ita tamen, ut Clera de bonis sui quondam mariti qui Raynutij pater fuerat, suam illam Morgengebam postuleat. Primū nullā huiuscē rei vel tenuissima in tex- tu nostro facta mentio est. deinde Langobardorum legibus Morgengeba disertè vetatur esse quadrante bonorum maior. Edict. Lutprād. tit. 4. præterea quomodo ad hæc verba accommodari ista interpretatio poterit? Alterocha bona quondam Raynutij tanquam ex caussa fi-

deicommisisti sibi debita petiit: tutore allegante quod de bonis illis tam tertia Cleræ, quam ter-
tia Adelasiæ, & quarta per Trebellianum Adie-
ctæ nomine erant deducēdæ. Nam si Morgen-
gebae ille fuerant, & alienatæ in extraneum erāt,
quo iure peti ab Alterocha potuissent? deinde
quomodo de illis iisdem bonis detrahi Trebel-
lianica potuit? Ad extremum, quid illud est,
quod Alterochæ tribui legitima dicitur, de iis-
dē illis duabus tertiiis delibata? Nā ita omnino
se res habet: vt si maximè cōmētum istud alicui
largiamur, tamen absurdissimè ius illud ex eo
cōsequatur: Cūm vxor & mater iure Langobar-
dico suas tertias detrahunt, cásque inter viuos
alienant, tamen filia potest suam de illis legit-
imam detrahere. Hoc enim loco statuitur, vt Al-
teroche de illis tertiiis Petrucio venditis, sua le-
gitima seruetur. Atqui constat legitimariā por-
tionem de hereditate tantùm detrahi: quæ verò
inter viuos alienata sunt, in hereditate non nu-
merari. I. sequēs quæstio. 68, D. de leg. sec. Neq;
enim, opinor, locum h̄ic habuit, quod traditur
in l. 1, l. 2, & l. si totas, 3, C. de inoff. dona. & l. si
vnquam, C. de reuocand. donat. Cūm per inof-
ficiosas donationes legitima læsa est, eas vsque
ad legitimæ quantitatem rescindi. quia cūm il-
læ duæ tertiae confusæ in matris & auiæ patri-
monio fuissent: si casus ita tulisset, vt Alterocha
suam in illarum bonis legitimam postularet,
certum est illam legitimam non præcisē, de istis

tertiis, sed vniuersè de solido illarum patrimo-
nio detrahendam fuisse. Præterea vbi de inof-
ficiosis donationibus , aut earum rescissione,
vlla in consultatione , & toto Decretalis con-
textu vel minima suspicio est? non enim , op-
inor , iudex huic controvæsiæ adhibitus , po-
tuit illas donationes nondum inofficiosi con-
uictas & damnatas , ita obiter & quasi aliud
ægens rescindere. Nam quod ad inofficiosæ
venditionis querelam attinet , vbi vnuquam e-
ius audita mentio est? Neque verò plura de
Glossatorum interpretatione dicenda sunt.
præsertim cùm tota illorum in tertiiis deducen-
dis ratio nemini probari possit. nam si ponam
mus in Raynutij bonis fuisse L I I I I , tres
autem personas Cleram , Adelasiam , & Adie-
ctam tertias ex iis petere : non sic rationem in-
ibimus, vt Clera dē L I I I I , detrahat x V I I I ,
pòst Adelasia de reliquis x x x v I , auferat
x I I . ad extremum Adiecta de hisce x I I , qua-
tuor abstrahat. Cùm enim vnicuique earum
eodem iure , eodemque temporis puncto legi-
tima debeat: quis non videt , ex eadem quo-
que summa singulis suam portio nem attribue-
dam? neque Cleram Adelasiam , aut hanc illi an-
teferendam esse? sed vnam simul omnibus illis
tribus legitimam de toto Raynutij patrimo-
nio attribuendam: quam pariter æquabilitérq;
inter se partiantur. verbi gratia x V I I I omni-
bus. quémadmodum ex §. vlt. De inoff. test.

superius demonstratum est. Verum, ut antea diximus, quæsitum emplastrum est, quod ista ulcera non sanaret, sed tegeret. de quo tamen diutius non pugnarim. nam per me quidem pedibus ista trahantur, licet.

F I N I S .

INDEX RERVM ET VER-
borum in Quæstionum illustrium
libro memorabi-
lium.

A

Acceptilationis ius,	220.
Accessio accessionis non datur,	275.
Actionem amittere,	140.
actiones legis,	209.
actionibus concurrentibus an vti liceat,	177.
Actus legitimi, qui,	210.
Addicebantur debitores creditoribus,	161.
Aditio hereditatis, legis actio,	216.
Adoptio, legis actio,	213.
adoptiones in testamentis, cuiusmodi,	ibidem.
Aduersarii & Hostes differunt,	46.
Adulterii nomine transfigere an liceat,	140.
Agnatorū hereditates in stirpes non diuidūtur,	96.
Ærarium duplex fuit,	5.
ærarii & fisci differentia,	6.
Aliud pro alio nec peti, nec solui potest,	98.
Amittere actionem,	140.
<i>Αὐτοῖς χρησίς vñi fructuī similis,</i>	146.
Area pars domus maxima,	57.
Armis capta, nisi armis non retineantur,	40.
Agri conditio propter personam non mutatur.	225.
Affis natura, vt partes inter se referantur,	257.
Auo mortuo nepotes ex filio demortuo vñā cum fi- lio superstite in stirpes succedunt,	38.
Aurei non corpus, sed valor spectatur,	100.

B

Bannum, promulgatio,	155.
Bartholi disputatio capitalis,	52.

INDEX.

Barbarii Philippi fraus insignis,	110.
Bonorum cessionis iura,	167.
bonorum possessio non est legis actio,	217.
Bello parta victoris fiunt,	39.
C	
Cæcus an iudex esse possit,	175.
Cæsar is in ditione quæ dicantur,	5.
cæsar is patrimonium,	75.
cæsar is res & fisci res differunt,	6.
Canonico iure parentum consensus in nuptiis non requiritur,	63.
Canonistarum acumen,	219.
canonistarum & ciuilistarum controuersia,	262.
Casclii Iurisconsulti fortis animus aduersus tyran- nos,	209.
Cautione reddenda debitum remittitur,	39.
Cessionis bonorum ius,	167.
Chirographi ius consideratur,	100.
Citra, pro sine,	142.
Ciuilistarum & Canonistarum dissensiones,	280.
Ciuitas an cū libertate iura sua omnia recuperet,	38.
ciuitas capta capite minuitur,	39.
Clandestinæ nuptiæ damnantur,	154.
Clauibus traditis traditur dominium,	75, 79, 82.
Codicis leges pleræq; obscuræ propter sermonem,	67, 68.
Collybus in pecuniis,	101, 102.
Conceptus post aui mortem ei neque auius, neque cognatus,	19.
Concesso aliquo, ea sine quibus constare illud non potest, concessa intelliguntur,	112.
Conciliationes legum prudenter exquirendæ,	191.
Concubina & vxor dignitate differunt,	151.
Concurrentibus actionibus an vti liceat,	177.
Conditio pro pactione,	17.

I N D E X.

conditione duplici requisita, vnam expleri non sufficit,	37.
Conductor fructuario similis,	146.
Coniugium an solo consensu sine publica testatione contrahatur,	150.
Consensus dicitur non contradicentis,	60.
Constitutiones nouæ strictè accipiendæ sunt,	94.
Cōsulatus olim patriā potestatē nō perimebat,	225.
Contrariorum regula insignis,	87.
Conuentio eadem valere ad pactum & ad stip. non potest,	67.
conuentio in manutn, legitimus actus,	218.
Corporum tria genera,	195.
Corruptio alia vniuersalis, alia particularis,	54.
Criminis caussa an pacisci liceat,	137.
Cunctator & frustrator differunt,	188.
D	
Damnati, iuris gentium non expertes,	49.
Dari aut tradi non differunt,	76.
dari res quando dicatur,	75.
Debitor qui soluendo non est, an affici pœna corp. possit,	157.
debitorum corpora obnoxia, & vexata,	158.
Defectores, iuris gentium participes,	48.
Definitionis proprietas,	146.
Delatorem corrumpens pro conuicto habetur,	139.
Delicta tot, quot delinquentium personæ,	207.
Delinquentium quot personæ, tot delicta,	204.
Delphinatus qua cōditione Reg. Galliæ donatus,	4.
Dialecticæ ratio in iure nō semper dominatur,	206.
Dignitatum gradus non confundendi,	224.
Dispositio legis intra suos fines coercenda,	88.
Dividua natura & utilitate,	125.
Divisio ex vna te plures facit,	120.
Dolus bonus,	51.

INDEX.

dolus permisius, vbi fides data non est,	Ibidem.
doli & perfidiæ differentia,	ib.
Domiñū cōmunionē nō diuisionē recipit,	121.
dominium ab obligatione separatur,	149.
dominium sine possessione an acquiratur,	73.
dominii cauſa quadruplex,	75.
dominium transferendo an præsentia & naturalis traditio requiratur,	80.
dominus rei eius vſufructuarius esse non potest,	77.
Domus per partes refecta, an eadem,	58.
Donationes in officiis & vſque ad legitimæ quartam refcinduntur,	281.
Dos in legitimam imputatur,	266.
dos vſui fructui ſimilis,	145.
dotis dominium penes maritum,	147.
doti dare & tradere differunt,	78.
Dotalis fundus etiam ab alio poffeffus fit mariti,	73.

E

Emancipatio legis actio,	214.
Emphyteutes an dominus,	146.
Expressio eorum quæ tacite continentur, maiorem vim obtinet,	88.
Euentus fortuiti ratio si non ducitur, neuter lædi- tur,	106.

F

Falcidiæ nomen pro legitima,	156.
Fauoris cauſa inductum conorqueri in odium non debet,	70.
Feudū ſine vassalli cōſenſu à ſeniorē nō alienatur,	13.
feudorum fraterna ſuccellio nulla,	38.
Fictio non cadit in ætatem,	33.
Fideicommissarius fructuario ſimilis,	145.
Fideicommissariæ res diminui ultra quadrantem nō poſſunt,	85.
fidei commiſſorum nullæ certæ formulæ,	86, 87.

I N D E X.

Fides hosti data an seruanda sit,	46.
Filia post annum 25 patris consensum in nuptiis nō requirit,	62.
Filius fideicommisso grauatus duas quartas an de- trahat,	271.
filiorum appellatio,	33.
Fiscalium rerum commercium erat,	7.
fiscus & ærarium differunt,	6.
fisci res, à rebus Cæsaris differunt,	5.
Fortuiti euentus ratio si non habetur , neuter lædi- tur,	106.
Fratrum inter duorum liberos patruī hereditas quo- modo diuidatur,	105.
Fraudatio prodesse fraudatori non debet,	70.
Fructuarius in suo dominio ius habet,	149.
Frugum in lite æstimanda cuius loci aut temporis pretium spectetur,	107.
frugum pretia mutabilia,	ibidem.
Frustrator & cunctator differunt,	188.
Fur & malæ fid. poss. differunt,	187.
Fures etiam corporaliter puniuntur,	163.
Furious possess. non acquirit, dominiū acquirit,	74.
Furti actionis nomine condic̄tio intelligitur,	181.
furti à pluribus commissi, quod ius sit,	203.
G	
Galliæ regnum Anglis donatum,	4.
Generi per speciem derogare quid sit,	195.
Gestorum nomine quid significetur,	169.
H	
Hereditas deuoluta semper primi testatoris heredi- tas,	273.
hereditas æstimatur extra ea quæ alienata sunt,	266.
hereditas aliud, aliud res hereditariæ,	130.
hereditas an per procuratorem adeatur,	117.
hereditas inter pares gradus pariter diuiditur,	95.
	hereditas

I N D E X.

hereditas viventis non venditur,	274, 275.
hereditas vnius hominis non duplex,	128.
hereditas utrum diuidua, an indiuidua,	137.
heres dominus, hereditas dominium,	129.
heres fiduciarius ultra quadrantem non alienat,	89.
Hominii genus duplex,	227.
Homo è seruo liber non idem qui prius fuit,	39.
Hosti an fides seruanda,	46.
hostem fallere licet, cui fides nondum data est,	50.
hostium appellatio quotuplex,	46.
hostibus pretium promittens naturaliter obligatur,	

§3.

I

Idem apud philosophos quid,	58.
Imperator an res priuatotum alienandi ius habeat,	
8, 9, 10.	223.
imperator de ducatu ante imperium adeptò an si- delitatem detrahats,	
	2.
imperator à papa ob legatum non solutum excom- municatus,	
	2.
imperatoris an sint omnia, & quomodo,	3, 14, 15.
imperatori an ius fuerit ditiones imperii oppigne- rare,	
	1.
imperatori in ea quæ diuina sunt potestas nulla,	3.
Individua quedam natura, utilitate diuiduntur,	124.
individuae res quæ,	118, 119.
Induciis violandis ius gentium violatur,	47.
Iniuriam suam gratis licet remittere,	138.
In stirpes & ex stirpibus succedere, idem sunt,	92.
Instrumentum fundi individuum,	124.
instrumento dato traditur dominium,	79, 82.
Interest non aestimatur ex affectione,	103.
Interitus rei utrum ad auctorem an ad reum perti- neat,	183.
Judices Romæ non iurisperiti,	173, 174.

T. i.

INDEX.

Iudicandi munus an legum imperitis mandetur,	172.
Iulia lex de debitoribus,	157, 162.
Iurisconsultorum auctoritas,	178.
iurisconsultorum dissensio notata,	206.
Ius gentium quib. modis violetur,	47.
iuris cōmunio inter quos est, inter se obligantur,	47.
iuri antiquo standum, quādiu de ipsius abrogatione non constat,	206.

L

Latrones iuris gentium non expertes,	48.
Legatus fruēdi ius in suo dominio nō habet,	149.
Legatis violandis ius gentium violatur,	47.
Legitima est pars hereditatis ab intestato,	273.
legitima de viuentis pactum non valet,	275.
legitima institutionis iure relinquenda,	274.
Legitima verba,	219.
Lex xii de ære alieno,	159.
lex de subleuandis addictis,	161.
lex Porcia, & Sempronia,	163.
lex Regia,	2.
lex Roscia & theatralis,	164.
legis actiones,	209.
legis dispositio inter terminos coercenda,	88.
legis ratio vbi non habet locum, eò lex non producitur,	94.
lege agere,	211.
leges interdum irreconciliabiles,	191.
leges multæ alieno loco positæ,	69.
Liberatus è seruitute non idem qui antea,	39.
Liberi in conditione positi an intelligantur ad hereditatem vocati,	85.
Libertas semel præstatur,	215, 216.
libertatis fauor maximus,	72.
Litem ex nudo pacto institutam esse, absurdum,	68.

I N D E X.

M

- Magis & minus non cadunt in su bstantiam, 121, 122.
Magistratus patriam potestatem non extinguit, 225.
magistratus iniussu gesta, rata non sunt, 51.
magistratu à falso gesta an rata sint, 110.
magistratus creati vitium, 110, 111
Mancipatio, legis actio, 217.
mancipationis & traditionis differentia, 80.
Manumissio, legis actio, 215.
manumissus non idem homo qui prius fuit, 39.
Materiæ & speciei differentia, 55.
Matrimonium à magistratu cum prouinciali nō cōtrahitur, 18.
matrimonium est ditiini iutris, 153.
matrimonium sine scriptura contrahitur, 152.
matrimonii causa quadruplex, 150.
matrimonii parentum iniussu contracti an vlla pœna sit, 59.
Matrimonii & nuptiarum differentia, 155.
matrimonia Romano iure tacitè cōtrahebātur, 151.
Matrimoniales causæ magna ex parte theologicæ, 152.
Menia columnia, vbi fures coercebantur, 163.
Metallorum in refectione differentia à reliquis rebus, 56.
Militaribus viris iudicia mandata, 175.
Mora commissa, damnum præstatur, 107.
Morganatica, 280.
Morgengeba, ibid.

N

- Naturaliter obligatur qui pretiū hosti promisit, 54.
Natus ante adeptum à patre magistratum an magistratus filius, 17.
nato nondum, donari non potest, 43.
natis nōdum relinqu per fideicommissum potest, 45.

T. ii.

INDEX.

- Nauis per partes refecta, an sit eadem, 54.
Nepotis in nuptiis an aui auctoritas requiratur, 60.
nepotis nuptiae & neptis ius diuersum habent, ib.
nepotes an filii apppellentur, 33.
Nexi qua lege soluti, 161.
Nomina inter heredes ipso iure dividuntur, 127.
Numus inter res incorporeas numeratur, 100.
Numi ratio eadem quæ chirographi, ibidem.
numi ex corio, ære, laminis, 99.
numerum consideratio, 98.
numorum neque qualitas, neque quantitas spectatur, ibidem.
Nuncupatio, actus legitimus, 222.
Nuptiae clandestinæ damnantur, 154.
nuptiarum & matrimonii differentia, 155.
Nutu fideicomissa relinquuntur, 87.

O

- Obærati, 161.
Obligatio principalis an poenali stipulatione nouetur, 64.
obligationum vis non ad dominium transferendum valet, 148.
Optio legati, 218, 219.

P

- Pacisci de crimine an liceat, 137.
pacisci de crimine post constitutum iudicium non licet, 138.
pacisci furti, iniuriarum, an liceat, 143.
pacisci tantum de re priuata licet, 138.
ex Pacto cui poenæ stipulatio subiecta est, an & exceptio, & poenæ petitio concedatur, 65.
Papa Imperatorem ob legatum non solutum excommunicat, 2.
Papiniani auctoritas: 87. quam Iustin. sequitus est, ibidem.

INDEX.

Parentum auctoritas in matrimoniiis,	59, 61.
Pars iuris, aut ius partis quando dicatur,	123.
pars non dicitur dominii, habitationis, usus, instru-	
menti,	124.
partes in toto & naturam & nomen suum retinent,	
57.	
partes verè dicuntur, quæ suo munere funguntur,	
198.	
Pater quomodo liberis succedebat,	92.
patris in voluntate aestimanda maior pietatis quam	
verborum ratio ducitur,	88.
Patrui hereditas quomodo diuidatur,	89.
Pauper debitor an corpore plectatur,	165.
Pecuniae præsentia an requiratur in emptione,	81.
pecuniarum permutationes,	101.
Petere, est per iudicem petere,	66.
Petitorium & possessorium an concurrant,	189.
Pietatis conjectura fauorabilis,	88.
Pœnæ tot, quot delinquentium personæ,	207.
Polliceri pro pacisci,	68.
Pepuli suffragia legis vim obtainent,	112.
Possessio an requiratur ad dominium,	73.
possessio in venditione qualis requiratur,	76.
possessio iusta quæ dicatur,	ibidem.
possessio naturalis & ciuilis,	192.
possessionis in petitione quasi vi eruptæ vtrum de	
vi an poss. prius queratur,	ibidem.
possessiones quæ dicantur,	8.
Possessor malæ fid. & fur differunt,	187.
Possessorium & petitorium an concurrant,	189.
Possidere & in possessione esse, differunt,	114.
Postliminium in agris, & locis sacris, publicis, &c.	39.
postliminium iura & statum restituit,	40.
Potestas humorum quæ,	98.
Posthumi extranei an institui possint,	42.

I N D E X.

- Prædii qualitas propter possessore nō mutatur, 225.
 Prædones, iuris gentium participes, 48.
 Præsentia alia vera, alia ficta, 81.
 Prætorem esse aliud, aliud prætura fungi, 112.
 Precaria substitutio, 86.
 Principis patrimonium, quid, 7, 8.
 Priuatorum rebus publico consilio damnum non
adferendum, 8.
 Probare quid, 168.
 Proculianorum & Sabinianorum controuersia, 65,
186, 191.
 Proscripti, iuris gentium non expertes, 49.
 Publicæ res quæ dicantur, 6.
 publicas res alienandi potestatē an Cæsar habeat, 7.

Q

- Quadrigæ legatum vno equo mortuo an extinguitur, 199.
 Quartæ detractio ei qui supra dodrantem grauatus est, conceditur, 258.
 Qui non habet in ære, luat in corpore, 165.

R

- Reddere, quid sit, 103.
 Regia lex, 2.
 Regnum ad utilitatem subiectorum dirigendum: ut
tutela, ad pupillorum, 12.
 regna testamento legata, 3.
 regna quibus parentur modis, 11.
 Rem tradi & rem dari differunt, 76.
 Repudium actus legitimus, 218.
 Repræsentationis in liberis ius quale, 32.
 Rex à tyranno quantum differat, 9.
 rex populi sui tutor, 11.
 rex an res priuatorum alienandi ius habeat, 8, 9, 10.
 regis in dominio sunt vniuersa, non singula, 2, 14.
 regis filiorum hereditates, quo iure sint, 17.

I N D E X.

regis fratrum liberi quo iure sint in hereditate,	38.
regis nepos & filius quod ius habeant,	27.
regis filius, & ex rege natus, differunt,	23.
regis Israelii lex & norma certa,	8.
regibus an ius sit, ditiones suas diminuere,	1.
Romanorum flagitiosa consuetudo in uxoribus cōmodandis,	151.

S

Scriptura in matrimoniiis non necessaria,	152.
Sectionis nomen à corpore ad bona translatū,	160.
Sententia de scripto recitanda,	173.
Seruire, & in seruitute esse, diuersa,	165.
Seruum esse, aliud: aliud, in seruitute esse,	113.
Solomon vrbes Iudææ an alienarit,	5, 17.
Solutio imaginaria valet pro vera,	39.
Stipulatio à conditione incipiens,	64, 71.
stipulatio prior per pœnalē subsequentē nouatur,	72.
Subiecti principum non deteriore cōditione, quam olim serui,	10.
Subtilitas in iure non semper dominatur,	206.
subtilitatis & vtilitatis iura varia,	124.
Successio non est in agnatis,	31.
successio peperit ius diuisionis in stirpes,	89.
Suorum posthumorum definitio,	42.
Superficies ius soli sequitur,	57.

T

Taberna mercibus summotis an eadem,	58.
Testamentum, legis actio,	216.
testamentum militis, & à milite factum, diff.	23.
testatoris consilium certum esse oportet,	42.
Tigni à pluribus furto sublati, ius quale,	204.
Totum in partes diuisum interit,	120.
totum & Perfectum, idem,	199.
totum integrale & Vniuersale,	130.
totius & Vniuersū similitudo,	193.

I N D E X.

totius triplex species,	196,
totius & Vniuersi differentia,	195,
Trabis furti à pluribus facti, ius quale,	204,
Traditio duplex,	80.
Transfigere de crimine an liceat,	137,
Tribonianii facinus insigne,	78,
Tutor quando dominus dicatur,	147,
tutorem esse, & tutela fungi, differunt,	114.
Tyrannidis tempore gesta, sublata tyrani de tolluntur,	41.
Tyranno dominante nulla Respub.	12.
tyranni & Regis differentia,	9,

V

Vassallus maiorem seniorem suo dignitatem adeptus,	
an ab eius hominio liberetur,	223.
Vassalli in fidelitate iuranda ritus,	224.
Vbi de veteris iuris abrogatione non constat, ei statutur,	36.
Vestigalia quædam fisci, quædam ciuitatum,	6.
Venditæ rei dominium tradito instrumento transferuntur,	75.
Veritas erroribus gestorum non vitiatur,	168.
Verba legitima,	219.
Vindicatio in depositarium an competit,	191.
Victores rerum tantum corporalium domini,	41.
Vniuersa sunt Regis, non singula,	14.
Vniuersi & totius differentia & similitudo,	193, 194.
Vniuersitati debitum, vni superstiti debetur,	40.
Vnus duas personas sustinet,	226.
Vstaurius à fructuario quid differat,	149.
Vsucapi vxores solere,	171.
Vsus est vsus, exiguis,	121.
vsus & vsus, interdum idem,	123.
vsusfructus vtrum diuiduus, an indiuiduus,	118.
Vtendi concessio quando pro traditione valeat,	83.

I N D E X.

- | | |
|--|------|
| Vtilitas à subtilitate differt, | 114. |
| Vxor & concubina dignitate differunt, | 151. |
| viores à Romanis anno vno vscucapiebantur, ibid. | |

I N D E X L O C O R V M Q V O S

auctor in hoc libro emendauit.

L.filii, 22, §.senatoris, D.ad municip.	pag.20.
L.senatoris, De senatoribus,	p.22.
L.nuda, 5, C.de contrah.stipul.	p.69.
L.3, D.de a&t.emp.	p.75.
Institut.Caii,	p.96.
L.quoties, 59, D.de verb.oblig.	p.108.
L.3, D.de offic.prætor.	p.112.
L.Mæuius, 66, §.duorum, D.de legat.23	p.124.
L.transfigere, 18, C.de transact.	p.141.
L.7, de except. rei iud.	p.177.
L.pen.D.de oblig.& a&t.	p.180.
L.quoties, 41, D.eod.	p.180.
L.qui seruum, 34, D.eod.	p.181.
L.3, D.de acceptil,	p.220.

I A C O B I C V I A C I I

Iuriscon. in l. frater à fratre,

D. de condict. indeb.

Commenta-

rius.

E T

F R A N C . H O T O M A N I

Iurisc. in eandem legem Ve-

tus renouata dispu-

tatio.

EX AFRICANO,
 LIBRO NONO
 Quæstionum.



FRATER à fratre, cùm in eiusdem
 potestate essent, pecuniam mutuatus, post
 mortem patris ei soluit. quæsitum est an re-
 petere possit. Respondit, vtique quidem pro
 ea parte qua ipse patri heres extitisset, repe-
 titurum: pro ea verò qua frater heres extite-
 rit, ita repetitum, si non minus ex pecu-
 lio suo ad fratrem peruenisset. Naturalem
 enim obligationem quæ fuisset, hoc ipso
 sublatam videri, quod peculii partem frater
 sit cōsecutus. adeò ut si prælegatum filio ei-
 démque debitori id fuisset, deductio huius
 debiti à fratre ex eo fieret. idque maximè
 consequens esse ei sententiæ, quam Julianus
 probaret: si extraneo quid debuisset, & ab
 eo post mortem patris exactum esset, tātum
 iudicio eum familiæ herciscundæ recipera-
 turum à coheredibus fuisse, quantum ab his
 creditor actione de peculio cōsequi potuis-
 set. Igitur & si re integra familiæ herciscun-
 dæ agatur, ita peculium diuidi æquum esse,

ut ad quantitatem eius indemnisi à coherede præstetur. porro eum quem aduersus extraneum defendi oportet, longè magis in eo quod fratri debuisset, indemnem esse præstandum.



EX IAC. CVIACII I. C.

Tractatu IX, ad Africatum.



INTERPRETES quibus erat hæc lex difficilis, eam confusa & perturbata disciplinæ ratione fecere difficilem magis. praui interpres, & prauus etiam ipse, nisi eam facilē reddo. Quò enim interpres, nisi vt ad facilitatē redigat quæ difficilia sunt, aut esse vidētur? & hoc adsequar, vt spero, si paulatim fecero vt explorata sint & quasi in numerato omnia quæ pertinent ad quæstionem huius legis. His enim bene cognitis, nulla quæstio Africani videbitur adhuc fuisse facilior. Sciendum est cōdictionem indebiti non dari ei qui soluit quod natura debuit: licet id iure ciuili non debuerit. Dari ei qui per errorem soluit quod natura non debuit. Naturæ nomine intelligo ius naturale vel gentium. Duo denique facio genera obligationum, aliam ciuilem, aliam naturalem. Ex ciuili petitio est, re-

petitio non est. Petitio non soluti, repetitio soluti. Ex naturali neque petitio est, neque repetitio. Non est petitio, quia actionem non parit: atque ideo dicitur obligatio improprié. nam obligatio propriè est, quæ soluendi necessitate adstringit. Naturalis, est solius æquitatis vinculum, quo d soluendi necessitate non adstringit. Habet tamen hos effectus, vt si ex eius obligationis causa solutū sit aliquid, soluti repetitio non sit, & generaliter vt quod debetur natura, retineri possit, si quo alio modo ad creditorē peruererit: itēmque deduci & computari & cōpensari, licet peti nō possit: nisi vno casu ex Constitutione Antonini Pij pupillo locupletiore facto, qui contraxit sine tutoris auctoritate. Exempla naturalis obligationis sunt innumera. sed quæ huius loci sunt tantum exponam. Filius famili. patri obligatur naturaliter, non ciuiliter, & retro pater filio famili. item frater fratri, qui in eiusdem patris potestate est, obligatur naturaliter, non ciuiliter. ratio hæc, quia pater & filij omnes quoteunque in eius potestate sunt, propter nodum, vinculum, nexum patriæ potestatis, iure ciuali vnius personæ vice funguntur. Vna autem persona ipsa sibi obligari non potest. Vnam personām esse liquet ex eo quod manumissione vel emancipatione duę aut plures personæ constitui dicuntur, l. x, De opt. leg. & à Theophilo in §. an seruo, De legat. manumissione personas separari atque discerni. Iure etiam naturali quot sunt capita in eadem

familia, tot sunt personæ, & consequenter alia
alij facile obligatur. Item sciendum est per-
filiumf. patri adquiri naturalem obligationem
eodem potestatis iure quo ciuilis adquiritur. &
quidem confessim, vt nec momento subsistat
in personam filij. nam generaliter accipio l. pla-
cet, De acquir. hered. sicut Azo, vt siue res, siue
ius, siue hereditas, siue obligatio qualiscunque
per filiumf. adquiratur, confessim adquiratur
patri & in atomo. Id verò eidenter apparent in
actione de peculio. nam si pater conueniatur
de peculio ex contractu filij, non tātūm dedu-
cit quòd sibi filius debet, sed & quod debet al-
teri filio fratri suo. quoniam & hoc patri debet,
sicut domino seruus debet, quod & conseruo
vel filio fam. domini. l. 9, §. peculiū, De pec. l. 6,
in prin. De pecu. leg. ergo adquisita est patri per
filii obligatio naturalis. idémq; hæc lex cōfir-
mat illo loco, Filio eidémque debitori. De filio
loquitur cui alter filius mutuam pecuniam de-
dit. & cuius filius dicitur, eiusdem debitor dici-
tur. adquisita igitur est obligatio naturalis patri
per filium qui pecuniam mutuam dedit. Possit
quis tentare obligationem naturalem non ad-
quiri patri, hoc argumento: Si patri adquire-
retur, pater filio nunquam obligaretur natu-
raliter. quæsita enim filio obligatio naturalis
in patrem, mox adquireretur patri & ad eum re-
curreret, & per hoc confunderetur, patre eodē
momento existente creditore & debitore. At-
quin pater filio obligatur naturaliter, vt puta si

filius patri pecuniam peculiarem crediderit. ergo obligatio naturalis non adquiritur patri. Verum ita respondeo. Imò adquiritur ipso iure, sed quamdiu pater ea acquisitione non vtitur, id est, quamdiu peculium manet apud filium, nō intelligitur adquisita. nam sua sponte pater patrimoniu suum separauit à peculio, ac veluti patrimonio filij: rationes suas à rationibus filij. l. 4. in princ. De pecul. l. per seruum. §. I, De adq. rer. do. Concedente igitur patre fit separatio & distinctio personarum, nec habetur ratio patriæ potestatis. qua de causa in hoc proposito placet mihi valde quod Græci ita peculium definiunt, Peculium est quod debuit adquiri patri, sed manet apud filium. πόφελον οὐ προσειδῶσι, οὐδέ τοις ιπτεξόντοις. Extincto peculio, veluti mortuo patre, tum planè apparet etiam naturalem obligationē patri adquisitā fuisse, id est, debuisse te patri pecuniā quam tibi frater dederat mutuam. transfertur enim in heredes patris, nisi confundatur, & in fratrem ipsum si patri heres fuerit. Certè quod seruo debetur (id verò semper ei debetur naturaliter tantum) id constat ita adquiri domino ut & ciuiliter debeat ac peti possit. l. nec seruus. De pec. si extraneus sit qui debeat seruo, qui libero homini possit debere ciuiliter. sed si conseruus aliquid aut seruus domini seruo debeat, id etiam domino debetur naturaliter tantum. Verum adhæc quæritur, an sicut obligatio naturalis quæritur patri, ita onus sustineat obligationis

qua fratri frater obstrictus est. Et constat non sustinere: alioquin eiusdem pecuniae idem inueniretur debitor & creditor, quod esse non potest. Finge igitur, Duo sunt fratres, Primus, & Secundus, uterque habet peculium. Secundus de peculio suo, Primo mutuam pecuniam dedit. Secundi obligatio pertinet ad patrem. Primi obligatio non pertinet ad patrem, cum nec de peculio Primi a Secundo conueniri possit, propterea quod nulla lis esse potest inter patrem & filium familiae: & quod etiam patri Secundus omnem acquisivit obligationem. Illud quoque sciendum est, confusione tolli non tantum ciuilem sed etiam naturalem obligationem. l. Stichus §. aditio, De solut. l. heres. §. quod si stipulator, De fideiuss. videlicet si debitor creditor heres extiterit, vel contraria. nam acquisitio hereditatis pro solutione vel compensatione cedit, l. quae dotis, Sol. mat. & solutione tollitur omnis obligatio, id est, etiam naturalis. & a comparatione argumentor recte. nam & deportatione debitoris non alia ratione soluitur tota obligatio, id est, etiam naturalis, l. si debitori, De fideiuss. quam quod morti comparetur, atque adeo sicut qui pro mortuo l. creditorem, Ad Macedoniam. ita qui pro deportato interuenit fideiussor, inutiliter interuenit: qui pro herede aut successore eius, utiliter. Confusione quoque tolli obligacionem naturalem, argumentum praebet, quod confusione sublata principali obligacione, tollitur etiam fideiussoria, l. Granius, De fideiuss.

deiuss. quæ non tolleretur si maneret naturalis. nam si naturali obligationi potest accedere fideiussor, sicut constitutum & pignus, & vbi accesserit adhærere, igitur licet confundatur ciuilis. Consumptio igitur fideiussoriæ obligationis argumentum est consumptæ naturalis obligationis. ac præterea naturalem obligationem confusione tolli natura ipsa dictat satis. nec enim patitur natura ut sibiipsi quis debeat, ve idem sit debitor & creditor. Concludo igitur cōfusis personis debitoris & creditoris, & cōcurrente iure utriusque in unam personam, omnem obligationem tolli. Verum huic sententiæ opponitur quod est in l. 6, & 8, C. ad leg. Falc. l. 1, §. si debitor, infrā eod. & aliis plerisq; in ponēda ratione legis Falcidiæ heredem deducere & retinere quod sibi defunctus debuit, & bonis computare quod defuncto debuit. Deductio, retentio, computatio effectus sunt naturalis obligationis. vbi igitur hi sunt effectus, & obligatio naturalis est. Denique ex effectis docemur non esse confusam naturalem obligationem, & simili arguento utitur ter Africanus in hac lege. Opponitur etiam l. debitor, Ad Trebell. quæ etiamsi debitor creditor aut contrà successerit, ait propter pignus manere naturalem obligationem. Nihil est quod tam facile expedire possim. ac primū in pondenda ratione legis Falcidiæ deductio & computatio fit eius quod defunctus heredi debuit. & contrà, hoc ideo quia initur ratio omnium.

bonorum quæ mortis tempore fuerunt perinde atque si quæ tum fuerunt & nunc essent, nec vlla confusio superuenisset. Mortis autem tempore in bonis fuit debitum vel creditum hereditis, ac propterea vel bonis contribuitur vel bonis deducitur. quin & ex causa eius debiti ageretur quasi non sublata ciuili obligatione si esset qui ageret & cum quo ageretur, & necesse esset agi quo magis aut quo melius iniaretur quam titas honorū, ac poneretur legis Falcidiæ ratio. Et quod ad l. debitor attinet, ipsa se aperit satis, dum propter pignus ait manere naturalē obligatiōnē. Significat enim propter alia nō manere, & esse cōfusam. Cōfusionē tollitur omnis personalis obligatio, etiā naturalis. Obligatio realis, id est pigneratitia, nō tollitur. Confusio personarum non mutat causam rerum. quod confirmat etiam l. cūm quis. §. vlt. De solut. Nunc notandum est duobus modis confusionem obligatiōnis fieri, Adquisitione hereditatis & Adquisitione peculij: & hanc duplīcēm confusionem obligatiōnis naturalis contingere in specie huius legis. Adquisitione hereditatis si debitor creditori heres extiterit confunditur obligatio pro ea parte scilicet qua heres extiterit. nā pro parte cohereditis remanet obligatio nisi alia ratione sublata sit, l. pen. C. de her. act. l. si ab eo, C. de neg. gest. Adquisitione autem peculij cōfunditur obligatio, si peculium debitoris ad creditorem peculiarem vel ad heredē eius peruerterit. nam vt patrimonio debitoris ita peculio

obueniente creditoris confunditur obligatio.
Hereditas & peculium nomina sunt quæ iuris
intellectum habent. Comprehendunt igitur
non emolumenta tantum sed etiam onera. Cui
obuenit hereditas, is sustinet onus æris alieni &
tenetur creditoribus hereditariis: quod si ipse
ex eis creditoribus fuerit, adeundo hereditatem
secum pensasse & sibi soluisse intelligitur. Et si-
militer cui obuenit peculium, sustinet onus pecu-
lij, & si ipse fuerit ex creditoribus peculiari-
bus vel heres creditoris peculiaris, etiam secum
pensasse & sibi soluisse intelligitur. & ita vendi-
tor serui qui retinuit peculium, secum pensat
quod seruo credidit ante venditionem, i. quo-
ties, §. pen. De pecul. Et secundum hæc in specie
huius legis cum essent duo fratres Primus & Se-
cundus, & Primo Secundus pecuniam credidisset,
ac mox obligationem naturalem ex causa
crediti contractam patri adquisuisset, ac dein-
de mortuo patre vterque patri heres extitisset,
æquis partibus confusa est naturalis obligatio:
partim quia Primus debitor patri creditori he-
res extitit ex semisse, partim quia Secundus he-
res patris ex altero semisse cepit iure heredita-
rio ex peculio Primi tantum quantum erat in
residuo debiti. Inde vero generaliter ita con-
stituimus, Eum apud quem est peculium, vel
in solidum vel pro rata eius quod ex peculio
habet, sustinere onus peculij. Onus obligatio-
nis peculiaris peculium sequi vbiunque sit.
Hinc sit ut venditor serui qui retinuit peculium

vel qui pro peculio pretium nominatum accepit, teneatur annali actione de peculio his qui cum seruo contraxerunt ante venditionem, l. deposui, §. vlt. De pecul. Hinc fit manumisso seruo vel emancipato filio, vel morte vel deportatione patris filio sui iuris effecto, ut dominus vel pater vel heredes aut successores eorum de eo peculio quod apud eos est teneantur annali actione creditoribus peculiaribus. l. si quis seruum, De pec. & in hac lege, §. quæsitū. Hinc fit vt in seruū manumissum vel in aliū, cui peculiū legatum est, sit annalis actio de peculio, non in heredem qui desuit peculiū habere, idque legatario tradidit, & hac in re ex Juliano ostenditur in l. 1. §, per contrarium, De dot. præl. esse differētiam inter obligationem dotalem & obligationem peculiarē. nam dotalis obligatio dotem non sequitur. nec enim tenetur de dote maritus cui exheredato pater dotem nurus, id est, vxoris suæ, legauit, sed heres quāmuis dotem habere desierit, cui tamen hac via confulitur ne bis dotem præstet, vt non aliter cogatur tradere legatario, quā si legatarius ei cauerit de indemnitate & de defendēdo eo aduersus mulierem. Obligatio autem peculiaris sequitur peculium, & ideo annali de peculio tenetur legatarius, nō heres qui peculiū habere desuit. Sed huic sententiæ Juliani opponitur. l. 1. §. item si heres, Quan. de pec. actio an. sit, quæ apertè definit actionem de peculio non dari in legata-

rium, quamvis res peculiares habeat, sed in heredem. Non in legatarium, quia, ut arbitror, in eum testator plenam liberalitatē exercere voluisse videtur, ut haberet peculium sine onere, sicut natura plerunque legati hæc est ut non sit onerosum, nisi nominatim fideicommissum à legatario relicto. In heredem verò, quia penes se videtur heres habere peculium, quo se liberavit actione ex testamento id tradendo legatario. quæ non est absurda ratio. nam sanè id quisque videtur habere quo se absoluit & quasi redemit, atque ita quod vertit in rem suam. sed labefactatur l. at cùm heres, De pecul. quæ non tantum si heres tradito peculio legatario se liberauerit, sed etiam, quod plus est, si acceperit à legatario certam summam, quod legatum esset peculium sub conditione dandæ heredi pecunia certæ, ait non teneri heredem de peculio, nec penes eum videri peculium esse, quia cā summam conditionis implendæ causa non tāquam pretii loco accepit. Fuit hac in re cōtrouersia inter Sabinianos & Proculianos. Quod refertur in d. §. per contrarium, est ex Iuliano. quod in d. l. at cùm heres, ex Iauoleno & Cassio, qui Sabiniani fuere. Contrà quod refertur d. §. item si heres, ex Cæcilio, qui Proculianus fuit, l. vir mulieri, De donat. inter vir. & vx. cui eiusdem sectæ Pegasus adiicit, hoc tamen remedium consuli heredi, ne teneatur de peculio qui peculium re vera non habet, ut retineat peculiū nec tradat legatario aliter quām si cauerit de-

fensum iri heredem si peculiares creditores cū eo agant de peculio. qua via effectu ipso onus peculii transfertur in legatarium. Et consequēter si fortè per errorem heres non vsus fuerit retentione peculii, non exegerit cautionem, sed peculium sine cautione legatario tradiderit, erit heredi condic̄io incerti, vel possessionis quam retinere: vel cautionis, quam exigere potuit. vt l. hoc S. C. §. 1. De vsuf. ear. rer. quæ vsu conf. l. sequ. hoc tit. Eadem cautione admittebant Sabiniani, vt diximus suprà, consuli heredi aduersus filium cui legata dos esset. Sed legato peculio nihil ista cautione censebant opus esse, quandoquidem destrictè affirmabāt heredem non teneri de peculio, & differentiam hanc esse constituebant inter obligacionem dotalē & obligationem peculiarem. Contrà Proculiani quod illi admittebant in obligatione dotali, & in peculiari admitti volebāt: & horum sententia obtinuisse videtur. Probatur Vlpiano d.l.i,§.item si heres. Probatur Marciano l. si seruo manumisso, de pec. leg. & dicitur esse hodie eam extra omnē dubitationem. Probatur & l.2, C. an ser. ex suo fac. Est enim illo loco, Maximè, *απογέθωντις* non *δικαιοντις*. Postremò sciendum est peculium extingui morte patris, extinguiri emancipatione filii, actionem de peculio non extingui, sed durare adhuc anno fictitiam actionem quæ fingit peculium esse quod desit esse nuper morte patris, aut emancipatione filii; & ob id breuiori tempore coer-

cetur. Eleganter autem l. 40, De pec. peculium simile esse homini, id est, seruo cuius peculium est: variari per qualitates, nasci, crescere, decrescere, mori: ac si animam haberet ut homo: secundum Pythagoreos, qui omne quod crescit animam habere dicunt. Prætermittit ἀκολουθον, quam Aristoteles non prætermittit, 3 De anima, illo loco, *αἰώνιη τὸ οὐρανὸν αὐξανεῖ ἔχειν καὶ ἀκολουθον φέσιν.* Moritur ergo peculium mortuo patre, quia scilicet filius fit pater fam. & paterf. peculium habere non potest, & eadem ratione moritur peculium emancipato filio. Mortuo autem confunditur & commiscetur bonis paternis, & in familiæ erciscundæ iudicium atque adeò in diuisionem venit, nisi prælegatum sit. quod hæc lex ostendit illo loco, peculium diuidi, & l. certum, C. fam. ercisc. l. filiæ. C. de collat. De peculio pagano loquimur: nihil hîc agimus de castrensi vel quasi castrensi. & rursus secundum ius vetus nihil interesse dicimus, peculium paganum profectitiū an aduentitium fuerit. Iure nouo interest. nam aduentitium extinguitur quidem morte patris, sed præcipuum à filio retinetur pleno iure, consolidato usufructu qui erat patris. Et non est actio de peculio aduentitio. De peculio profectio creditori extraneo est actio prætoria de peculio, intra annum in patrem, si filium emancipauerit retento peculio: vel si vita decesserit pater, in heredes eius de eo peculio quod ad eorum quemque peruenit. l. 1,

§. sed & si morte, Quan. de pec. ac. an. sit. l. si quis
terium, l. quæsitum, §. i, De pecul. In filium au-
tem qui obligationem cōtraxit tam viuo quam
mortuo patre datur creditori actio ciuilis inso-
lidum, vel si emancipatus filius fuerit, quia e-
mancipatione atque adeò imaginaria seruitu-
te obligatione solutus videtur: quæ erat extin-
cta emancipatione actio ciuilis, restituitur ex
edicto de capite minutis insolidum, vel in id
quod facere potest, prout prætori æquum vi-
sum fuerit. Ita verò conuentus filius post mor-
tem patris si condemnetur vel si condemnatio-
nem vereatur, vel etiam si solidum soluerit cre-
ditori peculiari, ei cōsulitur remedii quatuor,
ne omne onus peculii sustineat qui omne pecu-
lium non habet, quod scilicet diuisit cum co-
heredibus suis. Primum remedium hoc est, vt
non aliter soluat creditori peculiari, quam si ei
creditor cesserit actionem de peculio aduersus
coheredes. audietur enim si hoc desiderauerit
d. l. quæsitum, §. si verò filius. l. his cōsequenter,
§. si filius fam. fam. ercisc. Secundum remedium,
si solidum soluerit, vt iudicio familiæ erciscun-
dæ tantum recipiat à coheredibus, quantum ab
eis creditor actione de peculio consequi po-
tuisset. quod proponitur in hac lege & d. §. si fi-
liussam. Tertium remedium, si nondum solue-
rit & agant inter se coheredes iudicio familiæ
erciscundæ, vt officio iudicis præcipiat peculiū
pro modo debiti, si quid plus sit in peculio, id
non præcipiat l. 20, §. si filiussam. fam. erciscun-

Quartum remedium, ut etiam si nondum soluerit & agant inter se coheredes iudicio familiæ erciscundæ, si hoc malit coheredes ei caueant defensum iri eum aduersus creditorem peculiarem pro modo eius peculii quod coheredibus obuenerit in diuisione hereditatis. quod etiam proponitur in hac lege, & simile aliud ab eodē Africano in l. si à pluribus, De leg. 1. Hæc omnia quæ dixi hactenus qui tenet, & totam legem tenet, nec si paulum modò contendat amplius eget opera mea. Species legis hæc est, Duo sunt fratres in eadem potestate, Primus & Secūdus: uterque habet peculium, Secundus Primo credidit pecuniam peculiarem suam in causam Primi peculiarem. Obligatio est peculiaris. nec est in eo laborandum quod integra legis recitatio liquidò demonstrat. & rursus obligatio est naturalis tantum. nam filius f. fratri, qui in eadem potestate est, obligatur naturaliter tantum, extraneo ciuiliter, ex alia scilicet causa quam mutui. & hoc distat à seruo. nam seruus & cōseruo & filio domini & extraneo cuilibet obligatur naturaliter tantum, propter quod pro nullo computatur iure ciuili & prætorio & extraordinario. ea verò obligatio naturalis per Secundum patri confessim adquisita est. deinde mortuus est pater. Post mortem Patris, cui Primus & Secundus æquè heredes extiterunt, Primus Secundo per errorem soluit eam pecuniam. frustra quæsieris quod Accursius, soluerit ante aditam, an post aditam hereditatem.

nam sui heredes non adeunt, sed à morte pa-
 tris statim heredes existunt ipso iure. Sed quæ-
 sieris rectè, statim quod proponit Africanus,
 an primus quod soluit Secundo fratri cohere-
 di suo, repeterem posse. & videtur nō posse, quia
 id natura debuit patri. quod autem natura de-
 betur, solutione facta repeti non potest. Id, in-
 quam, si debuit natura, debuit patri vel Secun-
 do quasi heredi patris creditoris, non Secundo
 quasi creditoris: quia nullo momēto ea obliga-
 tio cōstituit in persona Secundi. nec est admittē-
 dum quod Accursius & alii quidam tentant de
 plebe, Primum eiusdem pecuniæ duos habere
 creditores, patrem & fratrē: & quod ait lex illo
 loco, Quod fratri debuisset, id ita accipiēdum
 est, Quod fratri debuisset quasi heredi patris.
 Verūm Africanus respōdit Primum vtique re-
 petiturū quod soluit pro ea parte qua Primus
 ipse debtor patri creditori heres extitit, quia
 pro ea parte sublata & confusa est obligatio
 naturalis adquisitione hereditatis. Vtique, id
 est, sine dubio. Vtrumque dixit I. Julianus §. 1,
 De acquir. her. Vtiq; sinc dubio, καὶ τὸν αὐτὸν, quia
 Vtique & Sine dubio quasi vnum sunt. Qui ne-
 scio quo libello non agnoscent confusionē si-
 uie adquisitione hereditatis sublatam esse obli-
 gationem naturalem, audent negationem ap-
 ponere, & ita legere, Respondit vtique quidem
 pro ea parte qua ipse patri heres extitisset non
 repetiturū: scutica profecto digni, & illo su-
 perdicto, μη κακούργει τὸν ρωμαϊκόν. Basilica rectis-

simè, τεὸς μὴ τὸ μέρος εἰς ὁ καηπονομαῖ, αναλαμβάνω.
& ratio qua mouentur penè indigna relatu. Primus pro parte hereditaria habet suum peculiū.
estō ergo pro ea parte obligatus est. perperam.
nam confusio & concursus debiti & crediti in
eandem personam, hoc nō patitur. nam si ob-
ligatus est pro ea parte, obligatus est sibi ipsi,
quod fieri nequit. Et hidem etiam nescio quo
ingenio hoc tota lege quæri, an morte patris
vel emancipatione filij extincto peculio, extin-
guatur peculiaris vel naturalis obligatio, &
hoc vnum agere Africanum tota lege, ut do-
ceat non extingui. non fuit cur in re certissima
hunc laborem caperet Africanus. nec cepit i-
gitur. nā & id solūm quæritur in hac lege quod
proponitur in initio & in §. quæsitum, Quæ-
situm est an repetere possit. Fateor, & conse-
quenter illud quæri, manserit obligatio natu-
ralis, an consumpta fuerit: verūm non an con-
sumpta fuerit morte patris vel emancipatione
filii, sed an consumpta potissimum fuerit ad-
quisitione peculii. & quod proponitur filium
soluisse post mortem, & in §. quæsitum, post e-
mancipationem, ac similiter in l. si id quod hoc
tit. seruum soluisse post manumissionem, hoc
fit, ut conuenienter quærat an agere possit con-
ditione indebiti. nam quandiu est in potesta-
te, nullam actionem exercere potest. Et hidem
rursus, si Secundus, ut posuimus, Primo credi-
derit pecuniam peculiarem, quod debet Pri-
mus Secundo, id debere patrem. perperam. Nō

debet id Primus Secundo, sed patri. adquisita enim est obligatio Secundi patii. Ergo aut id non debet pater, aut debet sibiipsi: & si sibiipsi, non debet igitur. Et hidem etiam eodem libello, titulos Digestorum nobis corrumpunt, ut non dicamus, Quarum rerum actio non detur, sed Quarum rerum exceptio vel exactio non detur, ut non dicamus, De condicione causa data, sed De cōdictione causa dati: quod interpretationes titulorum nostræ refellunt sat. Verūm, ut istos mittam, certissimum est pro ea parte qua primus debitor patri creditori heres extitit confusione sublatam esse obligationem naturalem, & consequenter, quia pro ea parte nullo iure debuit, quod soluit cum repetiturum. Pro parte autem Secundi coheredis, de qua præcipue tractatur, Primus quod soluit sanè non repeteret, si nihil ad Secundum de peculio Primi peruenisset, nec pro ea parte sublata esset obligationis naturalis: sed quia pars peculi ad Secundum peruenit iure hereditario, peculio Primi morte patris hereditati commisso, pro ea quoque parte verius est alia confusione sublatam esse obligationem naturalem: id est, adquisitione peculij, si quantum est in residuo debiti tantum ex peculio Primi ad Secundum peruenierit. quia pro sua parte Secundus inuenitur esse creditor & debitor. Creditor, quia patri creditorι successit. Debitor, quia successit in peculium. Quod si ex peculio Primi minus ad Secundum peruenierit, concurrentis quan-

titatis compensatio fit: & quia mansit naturalis obligatio in eo quod superest, cuius quod superest repetitio non est. Sin vero nihil ad Secundum peruerterit, aequè repetitio pro parte Secundi hereditaria solutæ pecuniae non est: quia pro ea parte remansit naturalis obligatio. Ponere, prælegatum fuisse peculium Primo. nihil igitur ex eo ad Secundum peruenisse. quod primus soluerit, pro sua parte Secundus retinebit iure obligationis naturalis, nec poterit ab eo repeti, & si Primus non soluerit, id eodem iure deducet. hi enim sunt effectus naturalis obligationis. & consequenter si per errorem eo non deducto, Secundus Primo toto peculio cesserit quod ei prælegatum est, poterit id quod deducere poterat condicere quasi indebitum, quia non fuit in peculio, l. si noxali, §. denique, De pecul. Quod enim debetur patri, minuit peculiū ipso iure, l. 30, De act. empt. Secundum hæc ita interpretabimur hæc verba legis, Adeò ut si prælegatum filio eidemque debitori id fuisset, &c. Adeò ut si nihil Secundus ex peculio Primi consequutus sit, si peculium Primi non sit diuisum inter Primum & Secundum, ut puta si peculium Primo prælegatum sit, tum ut Secundus deducere possit iudicio familiæ exerciscundæ pro sua parte quod Primus debuit patri. & retinere solutum igitur, ut ita onus peculii sequatur semper peculium. ac deinde pro parte Secundi confusam esse obligationem naturalem, si non minus ex peculio primi ad Secundū peruerterit,

Africanus probat hoc argumento. Si Secundus Primum aduersus extraneum creditorem peculiarem defendere & indemnem præstare debet pro rata peculij quod ad eum peruenit , multo magis Primum debet præstare indemnem aduersus seipsum , vt scilicet cum peculio successe rit in partem , pecularis debiti partem neque deducat, neque retineat. Atquin si primus extraneo creditor debuisset certam summam , cui ciuiliter obligatur , vt diximus antè , ex omnibus causis , excepta causa mutui ex qua filius fam. extraneo obligatur naturaliter tantum , l. quia naturalis. Ad Maced. post mortem patris æqualiter diuisio peculio inter Primum & Secundum , partem à Secundo creditor petere & exigere posset actione præatoria de peculio intra annum , partem à Primo ciuili actione posset & eadem actione solidum exigere à Primo : qui tamen eo soluto partem postea reciperet à Secundo , iudicio familie erciscundæ : vel re integra , id est , eo non soluto , à Secundo cautione exigeret indemnem præstare se & defendere aduersus creditorem peculiarem pro rata peculii quod ad eum peruenisset . Ergo debet etiam in eo quod frater sibi debuisset quasi heredi patris indemnem eum præstare , nec retinere solutum . & similis penè argumentatio est in l. si ita legatum , familie ercisc. In summa non tantum pro parte Primi confusa est obligatio naturalis adquisitione hereditatis , sed etiam pro parte Secundi adquisitione peculij . & probo summam


huius legis quam Bartholus fecit , nisi quod illo loco, Quatenus de eo peruenit ad credito-rem, vellem addi, Vel heredem creditoris. Se-quitur in hac lege, quod onus peculij peculium sequi & superiora confirmat. Et est de eo quod pater filio fam. vel contrà filiussam. creditit pa-tri, superiora fuerunt de eo quod frater fratri.



F R A N C . H O T O M A N I

Iurisc. in eandem Africani legem

Vetus renouata disputatio.



Vodeuiginti iam anni sunt , cùm in hanc legem scripsi videri mihi mendum irrepsisse fœdissimum: modestéque (vt mea natura & cōsuetudo semper tulit) sententiam illam meam exposui. Pòst etiam anno M. D. LXIIII, cùm essem Valentiae, cōmentationem eandem retractauī: nouisque aliquot argumen-tis sententiam illam meam veterem confirma-ui. Ac sperabam fore , vt si quis vir doctus eam emendationēm improbare vellet, disputationē suam eadē qua v̄sus eram modestia, literis man-daret: meāque opinionem placidē & sedatē refelleret. non enim de iuris sententiis, tanquā pro aris & focis, vt opinor, dimicamus. Nunc verò ab aliquot amicis sum admonitus, repre-

hensionem quidem illius libelli mei nuper editam fuisse: sed valde contumeliosam, atque à Iurisconsultorum ratione & instituto plane ab horrentem. Itaque rursus illam Africani legem in manus sumpsi, publicéque nuper interpretari volui: & communicato cum amicis consilio, quoniam mihi visus sum perspicere, verissimā illam meam esse sententiam, tertiam hanc illius legis tractationem diuulgare volui: ut quoniam voluntarius mihi aduersarius exortus est, eruditī viri (quorum iam magna copia est) nostræ huius contentionis arbitros se interponat. Nam ad me certè quod attinet, paratū me profiteor, ubi sententiam meam certis testimoniis conuictam animaduertero, de illa desistere: & eruditorum Iurisconsultorum iudicio stare: in quibus ne Franciscum quidem Roaldum eruditissimū virum recuso: atq; adeò propter singularē animi mei de ipsius integritate iudiciū, huius controvērsiæ arbitrum fero: ea tamen legē, vt veteris præcepti meminerit, & cùm arbitri personam suscepérit, amici deponat.

Summa autem quæstionis hæc est: An & quantum quod frater fratri naturaliter debitū post patris mortem dissoluit, tanquam indebitum condicat. Princípio propter quæstionis subtilitatem triplex adhibenda præmunitio est. Nam mirum est eos qui facillimam hanc legem esse scribunt, tamen tres totas páginas in præmitionibus consumere. Nostrarum igitur hæc prima est, Inter eos qui eiusdem familiæ sunt naturalis

naturalis tantum obligatio contrahitur. l. actiones, 7, D. de obl. & act. l. 4, D. de iudic. l. naturalis, 10, D. ad Maced. Est autem naturalis obligatio, quæ cum iure ciuili destituatur, naturali æquitate, id est, æqui bonique ratione, sola sustinetur. l. stichum. 95, §. naturalis, D. de solut. l. si quod. 64, D. de cond. indeb. Quo loco illud obiter notandum est, quanuis filii-fam. ex contractibus cum extraneis factis, non modò naturaliter, verūmetiam ciuiliter & obligent, & obligentur: l. filiussam. 39, D. de obl. & act. l. tam ex contractibus. 57, D. de iudic. l. si id quod. 58, §. 2, D. pro soc. tamen ipsos inter se naturaliter tantum obligari. vt paulo post planius intelligetur. Sequitur secunda, Naturalis obligationis hæc vis est, vt cum ad retentionē, tum ad compensationē valeat. l. naturaliter. 13, & l. iudex. 28, D. de cond. indeb. l. etiam. 6, D. de compens. Sequitur tertia, Peculium tum proficitium, tum aduentitium, iure ciuili cum hereditate paterna permiscetur, l. certum. 13, C. famili. ercisc. l. filiæ. 12, C. de collat. qua de causa res in peculium concessa, patre mortuo manet hereditaria. l. emptor. 65, §. 1, D. de rei vind. Cuius rei hæc ratio est, quoniam cum peculiū nō dicitur nisi eorū qui in aliena potestate sunt, sequitur vt patriæ potestatis interitu peculiū extinguatur. l. paterfa. 182, D. de verb. sign. l. vlt. ix. fi. C. de inoff. test. sicuti morte filij aut serui, emā cipatione filij, & manumissione serui peculium esse definit. l. 1, & l. vlt. D. quando. de pec. act.

Nunc caussæ constitutio videnda est. Duo fuere filii fratres, Primus & Secundus: quorum vterq; in peculio centenos habuit aureos. Primus à Secundo quinquaginta mutuatus est. Post pater moritur, cui fratres illi æquis ex partibus succedunt. Hi cum paternam hereditatem inter se ipsi pinguius nullo adhibito arbitro diuisissent (velut in l. cum putare, 35, §. vlt. famil. ercisc.) Primus datam Secundo fidem seruare voluit, eique quinquaginta aureos dissoluit. Pinguius autem diuisam inter illos hereditatem iecirco dicimus, quoniam si familiæ erciscundæ adhibitus arbiter fuisset, reputationis & deductionis rationem habuisset. animaduertisset, inquā, & in peculio fratri creditoris, id quod ei naturaliter debebatur, computandum: & ex illo debitoris, quod ipse naturaliter debebat, deducēdūt. l. quam Tuberonis, 7, in fi. l. sed si, 9, §. 1, D. de pecul. l. si peculium, 6, §. sicut l. denique 8, §. 1, D. de pecul. leg. Cuius rei ratio si habita fuisset, nihil prorsus controuersiæ superfuisset. neque enim tam amens Primus fuisset, ut pecuniam semel solutam, iterum dissolueret. Verum ut hoc per incuriam & errorem non animaduerterit, parui refert. Illud summè attēdi oportet, cum permixtum vtriusque filij peculiū in paterna hereditate fuisset, vterque autem æquis ex partibus heres extitisset, tum accidisse ut Primus è peculio Secundi (quod, ut diximus, quinquaginta aureorum erat) vigintiquinque auferret: vicissim autem Secundus è peculio

Primi (quod centum fuisse diximus) quinquaginta. Nam (ut iam testati sumus) nullam quinquaginta aureorum quos Secundus Primo crediderat, duci rationem oportet. quasi apud Primum periissent, neq; in eius peculio patre mortiente reperti fuissent. Cum enim Africanus dicat naturalem Primi obligationem post patris mortem maiisse, perspicuum est illam summam in patris hereditate confusatam non fuisse. nam si confusa fuisset, Secundus eam perceperisset: atque ita sibi vterque centenos suos peculiares aureos receperisset. Hac igitur cum ita essent, Primus fidem (ut dixi) seruas quinquaginta aureos fratri dissoluit. Ali quanto post de iure ciuili ad monitus, quo debitae inter filiosfa. pecuniæ exactio nulla est, repetere pecuniam illam tamquam indebetè solutam instituit. Quæstio est, an possit. Dubitandi causa est, ut non posse videatur, defensio Secundi, quoniam naturalis obligatio ad retentionem valet, ut paulò ante diximus: id est, naturale debitum per errorem solutum retinéri ab eo cui solutum est, potest: propter æquitatem naturalem. I. hoc iure, 29, §. 4, D. de donat. l. naturales, 10, D. de obl. & act. Contrarium tamen Africanus respondit. Primum videlicet quinquaginta solutos fratri per errorem aureos repetiturum. haec nimirum de causa, quoniam Secundus eos iam antea ex Primi peculio percepoperat. nam (ut à posteriore primùm ordiamur) pro qua parte Secundus patr̄ heres extitit, cuius in hereditate cōfusum Primi

peculium fuerat, è Primi peculio quinquaginta aureos abstulerat. Cùm autem obligatio naturalis etiam ad compensationem valeat (vt superius dictum est ex l.6, D.de compens.) æquū esse vt illa quinquaginta ei in solutionē imputetur, & cum eo quod Primus Secundo debuerat compensentur: hoc c̄st, vt catenus naturalis obligatio tollatur, quatenus Secundus è Primi peculio consecutus est. Ita disceptatio ex contraria æquitate cōstat: sicuti videmus in l.si seruus.61,§.quòd verò, D.de furt. æquitatem cum æquitate contendere. Nam quemadmodum Secundus naturali æquitate pugnat, ita Primus eadem se æquitate tuetur. Naturalis autem obligatio sicut æquitate sola contrahitur, ita æquitate sola dissoluitur: id est, iis modis omnibus qui naturali æquitati consentanei sunt. d.l. stichum, 95,§.naturalis, D.de solut. Atque hoc nimirum est quod ait Africanus, *Pro ea uero parte qua secundus frater heres extitit, ita repetiturum primum, si non minus ex peculio suo ad fratrem secundum peruenisset: ubi subaudiendum est, quam quantum ei naturaliter debebatur. quod in proposita specie usuuenit.* Quibus ex verbis duo nobis singulariter notanda sunt: primū, Eatenus naturalem filii obligationem extingui, quatenus naturalis ipsius creditor ex eius peculio consecutus est. nam id etiam in patre creditore valere, posterius intelligetur ex §.quæsitum: & dilucide traditur in l.si noxali, ii,in fi.princ.D.de pecul. Deinde notādum est, quod suprà diximus,

quauis filiifam. ex cōtractibus cum extraneis
factis etiam ciuiliter obligent & obligentur:
tamen inter se nonnisi naturaliter obligari. nā
si ciuilis post patris mortem mansisset obliga-
tio, dubitādi caussa nulla omnino superfluisse.
Verūm hīc alia subsequitur quæstio: Quantum
igitur Primus sit repetiturus: vtrum integra que
dissoluit quinquaginta, an eorum partem dun-
taxat. Hīc illud meminisse oportet, quod suprà
dictum est: quia Primus è Secundi peculio vi-
gintiquinque abstulerat, consentaneum esse,
Primum tātundem Secundo imputare, & cum
eo quod nimiū soluit compensare. Quare vt si
attentus ad suum negotiū Primus fuisset, x x v
tantūm Secundo reddidisset: ita nunc errore
admisso, x x v tantūm repetet: atque ita sua v-
trique fratri peculii sui ratio constabit. nam sic-
uti ante mutuum datum vterque centenos in
peculio aureos habuit, ita post mutuum disso-
lutum tantundem vterque habebit: vt vel Ar-
chimedes melius describere non potuerit.

Veniamus iam, ὑστερον τετέρην ὥμερον, ad
prius caput, pro qua parte Primus patri heres
extitit. In quo quero, cùm illa superiore ratio-
ne commodissimè vtrique satisfactum fuerit,
quo iure, Primus præter illos x x v quos iam
repetiit, repeteret quicquam amplius possit. Et
tamen in vulgatis libris omnibus ita legitur:
vtique quidē pro ea parte qua ipse patri heres exti-
tisset, repetiturum. Quare pristinam meam sen-
tentiam retineo, quam annis abhinc x x diu

multumq; cum eruditissimo viro Ioanne Lau-
trecio Sangermerio, Senatore Tholosano com-
municatam, vehementer illi probaram, & ali-
quanto post edito libello promulgaram: ut par-
ticula non interponatur: itaque locus resti-
tuatur: V T I Q V E N O N R E P E T I T V-
R V M. Nam usitata Iurisconsultorum locutio
est Utique pro Certé. Ut in l. si pro parte, 10, §.
2, D. de in rei vers. Sed si non sint promissæ, u-
tique non debebuntur. Et has duas voces V T I
Q V E N O N plerunque coniungi, testimo-
nio sunt l. ite apud, 15, §. si quis, 27, D. de iniur. l.
5, §. 2, cod. l. 4, D. vi bon. capt. l. si seruus, 61, §. vlt.
D. de furt. l. 1, §. dies autem. D. quand. appel-
lit. l. 1, D. de iur. delib. At non V T I Q V E
idem valet quod Non continuo. ut apud Pom-
ponium in l. cum plures, 72, D. de euict. Non u-
tique alter alterius fundus pars videtur esse. I-
tem, Non utique prohibebitur emptor vendi-
torem conuenire. Quintil. lib. 5, Sol colorat. non
utique qui est coloratus, à sole est. Quod si usi-
tatam scripturam retineremus, duo valde ab-
surga cōsequeretur. primum, ut Secundus xxv
minus haberet, quam quantum illi æquitas na-
turalis peculii sui nomine attribuit. Primus au-
tē xxv amplius in peculio suo haberet, quam
quantum illi æqui bonique ratio permittit. Et
si enim peculium morte patris extinctum est,
tamen in hac tota naturalis obligationis ratio-
ne consideranda, quæ inter fratres contracta
fuerat, solius æquitatis naturalis ratio habēda

est: quippe quæ in iis sola dominatur: vt ait l.
siquod, 64, D. de cond. ind. d. l. stichum, 95, §. na
turalis, & l. si noxali, 11, D. de pecul. Alterum ab
surdū ac propè flagitiosum ita licebit animad-
uertere. ponamus Primum nihil in peculio ha-
buisse. Secundum illi quinquaginta credidisse.
Post patris mortem Secundus è Primi peculio
nihil auferet: ac proinde nulla ex parte natura-
lis obligatio tolletur. Qua frōte igitur Primus
hoc casu repetere quicquam auderet? Deniq;
vt nostram caussæ constitutionem retineamus,
& ponamus Primum in peculio cētum habuif-
se, quo iure audebit, quod bona fide sibi credi-
tum bona fide persoluerit, repetere? præsertim
pro parte qua patri heres extitit. Nam illo re-
spectu qua tandem in parte compēsatio induci
poterit? Sed ad reliquam Africani disputationē
pergamus. Nam vbi eam κ' πόδα exposuerimus,
tum vnde vulgaris error natus sit, aperiemus, &
simul cuiusmodi aduersariorum obiectiones
sint, considerabimus.

Seq. versiculus, Adeò ut si, &c. vbi hæc quæ-
stio proponitur: Ex peculio fratri à patre præ-
legato an alter frater quod sibi debebatur de-
ducat. Primus in peculio q̄ habuit. Idem Secun-
do x x debebat. Pater moriens Primo debitori
Secundi suum peculium prælegauit: velut in l. si
peculium, 20, & pass. D. de pec. legat. Patre mor-
tuo queritur, an Secundus creditor x x sibi de-
bita deducere de Primi debitoris peculio pos-
fit. Dubitandi caussa est, quoniā peculiū morte

patris interit: ut suprà dictum est. quinetiam vt non extingueretur, tamen Primo totum prælegatum est. Contrà tamen Africanus respondet: quoniam etsi morte patris peculium extinguitur, tamen naturalis obligatio peculiaris patriæ potestatis interitu nō extinguitur: sed post patris mortem durat: sicuti de emancipatione traditur in l. eas, 8, D. de cap. minut. neque enim iuris ciuilis argutiis obligatio naturalis la-befactatur: sed naturali æquitate, id est, boni æ-
quique ratione, sustinetur. d.l.8, & d.l. stichum,
§. naturalem. l. non amplius, 84, §. 1, De regul.
iur. Quorsum igitur hæc disputatio? non vsque-
quaque certè ad superiorem quæstionem. sed
tamen ex ea intelligitur, primùm naturalem
obligationem per patris mortem non extin-
gui, quod ad superiorem quæstionem perti-
net: deinde illud subaudiendum est, quod hīc
non exprimitur, Si Secundus è Primi peculio
partem abstulisset (quemadmodum in casu su-
periore vsuuenit) tum nihil cum deducturum
fuisse: quoniā naturalis obligatio pro qua par-
te peculium participasset, sublata fuisse. Quod
autem video esse, qui verba illa F I L I O E I-
D E M Q V E D E B I T O R I , sic interpretan-
tur: De filio loquitur, cui alter filius mutuam pecu-
niā dedit: et cuius filius dicitur, eiusdem debitor di-
citur: hoc cuiusmodi sit, satis intelligere nō pos-
sum. Nam debitorem filium alterius filii crédi-
toris respectu appellari quis non videt? præser-
tim cùm modò dixerit, naturalem obligationē

manere inter fratres post patris mortem, nam si obligatio est, certè alterum debitorem, alterū creditorē esse oportet. l.fideiussor, 16, §.2. D.de fideiuss. Quinetiā hoc ex loco perspicuū est, naturalem fratrum obligationē neq; patris morte perimi, neque hereditatis ipsius immixtione confundi. nam si nulla obligatio superfuisset, vnde deducendi facultas competiisset?

Seq. versic. Idque maximē, &c. Qui versiculus non ad proximam, sed ad superiorem quæstionem referendus est. Quod dictum est, inquit, de participatione peculii, quæ perimendæ obligationis vim obtinet, consequens (id est, consentaneum) est Iuliani sententiæ: vt si filiussam. aliquid extraneo debeat, & post patris mortē extraneus nō aduersus singulos coheredes pro rata percepti peculii egerit, sed totum ab ipso filio exegerit, tum vt filius iudicio familiæ erciscundæ tantum à coheredibus recuperet, quantum ab iis creditor actione de peculio consequi potuisset. l. his consequenter, 18, §. si filius, D.famil.erciscun. Quæstio igitur erat: An filius à quo creditor extraneus debitum integrum post patris mortem exegerat, pecuniām à coheredibus pro rata recuperet. Dubitandi cauſsa est, quia peculium morte patris interit. Contrarium tamen respōdetur: quia quāuis peculii nomen interierit, tamen coheredes qui ē filii peculio partem adepti sunt, ex bono & æquo ipsi obligati sunt. Qua ex re quorum hæc sententia pertineat, intelligitur. nam

si coheredes filio ex ipsius peculij participatio-
ne etiam ciuiliter obligātur: multo magis ob-
ligatio Primi, præsertim naturalis tantum, ob-
partem peculij à Secundo perceptam extincta
fuerit. quemadmodum dici solet, multo faci-
lius liberationem, quām obligationem con-
tingere. l.Arrianus, 47, D.de obl.& act.

Seq.versic. igitur si re, &c. Hoc cūm ita sit (in-
quit Africanus) si re integra, id est, prius quām
filius debitor extraneo creditori satisfecerit, fa-
miliæ erciscundæ inter coheredes agatur, ita pe-
culium fratris diuidi inter coheredes fratres æ-
quum est, vt is qui fratris peculium communi-
cari vult, caueat se indemnem illum præstitu-
rum, vsque ad quantitatem eiuspartis, quam è
peculio percepturus est. l. si à pluribus, 107, D.
de legat. l. Quare quaestio hæc fuit: An is cuius
peculium coheredes participat, ab iis vt se in-
demnem creditori suo pro rata participatio-
nis præsent, petere possit.

Seq. in textu: Porro eum quem, &c. Argumen-
tum est ex minoris comparatione: Si qui pecu-
lium fratris participat, aduersus extraneum in-
demnem illum præstare debet, vt frater pro ra-
ta suum peculium recuperet: multo magis ad-
uersus seipsum, & præsertim re integra, id face-
re cogitur. arg. l. qui negotia, 31, D. mand. l. cūm
hereditas, 59, D. de admin. tut. l. cūm in eo, 44,
D. de pact.

Seq. l. Quæstum est, &c. vbi quaestio hæc pro-
ponitur: An quod naturaliter debitum filius

emancipatus patri dissoluit, repetere possit, dubitandi caussa per uulgata est, quoniam regulariter indebita per errorem soluta conditione indebiti repetitur. l. i, & pass. D. de cōd. indeb. Contrarium tamen respondetur, Adhiberi distinctionem oportere: Vtrūmne pater aliquid ex peculio retinuerit, ànnon. Siquid retinuit, iam suprà demonstratum esse, naturalem obligationem catenus extingui, quatenus creditor ex debitoris peculio cōsecutus est. Idēmque perspicuè traditur in l. si noxali, ii, D. de pec. vbi si filiussam. à debitore paterno aliquid exegit, & pater id de peculio deducit, filiussa. naturali obligatione liberatur. Est autem, inquit, natura æquum liberari filium obligatione: propterea quod pater de peculio deducēs, videtur in illud debitum exegisse. Si autem nihil pater retinuit, nihil repetiturum: quoniam naturalis obligatione per emancipationem non tollitur. d. l. 8, D. de cap. min. non magis quam per manumissionē. l. serui, 14, D. de obl. & act. l. naturaliter, 13. l. si quod, 64, D. de cōd. indeb. quippe cùm vt ciuilia ciuilibus tantùm, ita naturalia naturalibus tantùm modis dissoluuntur, d. l. 8, & 9. vlt. De leg. agn. tut.

Seq. in textu, Nam manere naturalem, &c. Probat naturalem inter filium & patrem obligationem etiam post emancipationem manere: nisi quid ex peculio apud patrem remanserit. quoniam siquid filiussam. extraneo debuisset, & cùm filiussam. emancipatus esset, extraneus ad-

uersus patrem actionem de peculio intendis-
set, pater quod sibi filius debuisset, deduceret.
quoniam et si patriæ potestatis interitu peculiū
interit, tamen contrahendæ obligationis tem-
pus inspicitur. l. vlt. D. de stipul. fer. l. id quod,
19, §. vlt. D. de pecun. const.

Seq. versic. *Contrà si pater, &c.* Quæstio est,
An quod pater naturaliter filio debitum eidē
emancipato soluit, repetat. Dubitandi & re-
spondendi caussa eadem est quæ in casu supe-
riore: quo magis illa sententia confirmatur, na-
turalem obligationem sublata patria potesta-
te neque ex patris, neque ex filii parte interire.
d.l.8, D. de cap. min.

Seq. versic. *Nam h̄c quoque, &c.* Cuius quæ-
stio est, An extraneo intra annum agente pa-
tris debitum in peculio computetur. Filius pe-
culium habebat LXXX aureorum. Pater ei XX
debebat. Idem ille filius extraneo centum de-
bebatur. Cùm emancipatus à patre fuisset, quæsi-
tum est, an extraneus petere à patre centum in-
tegra possit. Dubitandi caussa est, quoniam pa-
ter supra vires & summam peculii non tenetur.
§. actiones, & §. sunt præterea, 34, Inst. de act.
Contrarium tamen respondetur, quia quæ pa-
ter naturaliter filio debuit, in eius peculio nu-
merantur. l. 7, §. 3, D. de pecul.

Supereft versic. *Eademque erunt, &c.* Cuius
hæc quæstio est, An quod extraneus heres filio
naturaliter à patre debitum, eidem exheredato
dissoluit, repetere ab ipso possit. Pater qui x

filiofam. debebat, illo exheredato extraneum instituit. Hic filio decem illa dissoluit. quæritur an repetere possit. Dubitandi causa est, quoniam actione nulla cogi ab illo filio poterat: ac proinde soluisse indebitum videbatur. Contrarium tamen respondetur: primum quia naturalis obligatio vt per emancipationem, sic neque per exhereditationem extinguitur. l. 3, §. sed utrum, D. de minorib. deinde quia heres ille extraneus participatione peculii naturalem patris obligationem in se suscepit.

R E S T A T, vt quibus ex fontibus peruvul-
gatus error natus sit, demonstremus. nam cùm
in l. placet, 79, D. de acq. hered. scriptum esset,
hereditatem filio quæsitam, confessim patri
acquiri: Accursius & eum secuti Doctores o-
mnes ratiocinati sunt, non modò ciuilem, ve-
rumentiam naturalem obligationem patri quo-
que acquiri. cùm autem Primus patri heres ex-
titerit, aditione hereditatis creditoris cōfusam
obligationem extingui. l. stichum, 95, §. aditio,
D. de solut. Hæc ego (pace doctorum homi-
num dictum sit) valde ab hoc proposito nostro
aliena esse arbitror. fieri potest vt fallar: & quæ
admodum errare, humanæ imbecillitatis ad-
iunctum est: ita nimium opinioni suæ con-
fidere, & petulanter alios laceſſere, superbiæ,
ſtultiæ, & temeritatis. Sed Iurisconsulti offi-
cium est in rem scribere, non in personam. Ita-
que quantumuis cōtumeliosè laceſſitus, mode-
ſtē tamē vt potero respondeb̄o. Primum, quod

dicitur ius filio quæsitum patri acquiri : totum ex iuris ciuilis fictionibus, argutiis & subtilitatibus manauit : quibus personæ omnes quæ eiusdem familiæ sunt, pro vna numerantur. l. si quis, 56, §. 1, D. de fideiuss. i. si Pamphilo, 10, D. de opt. leg. quibus filij, qui libertinus effectus est, mater esse definit. l. 2, D. ad Tertyll. quibus filius post emancipationem, extraneus : seruus post manumissionem, alius homo numeratur. §. 3, de hered. qual. l. seruus, 27, D. de adim. leg. l. qui res suas, 98, §. vlt. D. de solut. At in obligationibus naturalibus nudum & simplex factū (quod à fictione abhorret) consideratur. l. nec seruus, 41, D. de pecul. adeò vt ne ciuilis quidē liberatio naturalem obligationem extinguat. l. Julianus, 60, D. de cond. indeb. Denique iure naturali omnes homines pares & æquales habentur. l. quòd attinet, D. de reg. iur. Quare cùm h̄c de naturali iure & naturalibus obligationibus agatur, consentaneum est, eas naturaliter considerari, neque iuris ciuilis fictionibus locum permitti. l. si quod, 64, D. de cōd. indeb. vt is demum qui credidit, naturaliter creditor: qui mutuatus est, naturaliter debitor numeratur. In eāmque sententiam Seneca lib. de Benef. 5, Etsi filius meus, inquit, pecuniam mutuā sumpserit, creditori numerabo. nec tamen ego debuerō. Dico me tibi obligatum pro filio: nō quia sum, sed quia volo me offerre tibi debitorem voluntarium. Denique huius rei eidens argumentum est, quòd etsi filiussam. ciuiliter

possidere negetur: l.filius, 93, D.de acq. poss. & quæ peculiari nomine apprehendit, confessim à patre possideantur: l.4, D.eod. tamen, si naturale ius spectemus, filius fam. possidet: neque illa naturalis possessio patri acquiritur. l.per seruum, 37. l. quòd seruus, 24, & l.possessio, 49, §.1, de acq. poss. Ex quo perspicuum est, vbi de naturali iure tractatur, locum fictionibus ciuibus non permitti. quod idem patet etiam ex l.heres, 21, §.2, D. de fideiuss. vbi seruus naturaliter obligatus, si manumissus in naturalem obligationem suam fideiubeat, nihil agere dicitur. quoniam intelligi non potest, vt quis profideiubeat. cùm tamen si ciuilem fictionem spectaremus, iam non idem homo, sed alius dícedus esset. d.l.seruus, De adim.leg. Quod cùm ita sit, in illa nobili disputatione Pomponij l.l, D.de resc. vend. An pacto solius patris venditio à filio f. facta resoluatur: vbi Pomponius contra Celsum affirmat filium quoque obiter liberati: statuendum putarem, liberari quidem filium, sed ciuiliter tantum, naturaliter autē obligatum manere. Similiter in l.siquis pro eo, 56, §.1, D.de fideiuss. quod dicitur cùm filius à patre stipulatur, nec fideiussorem acceptum teneri: quia non potest pro eodem & eidem esse obligatus: non dubitarem quin de ciuili obligatione accipiendo esset, non autem de naturali: in quam etiam fideiussor acceptus obligatur. l.7, D.eod. eiūsque rei argumentum præbet l.planè, 12, cum l.præcedenti, D.eo. Secundum

argumentum est, quod si obligatio filii creditoris patri acquireretur, eadem fictione simul etiam obligatio filii debitoris ad illum pertineret, partim propter regulam l. secundum, 10, de reg. iur. & l. vsuf. 9, §. 1, D. de vsuf. l. neque, 13, D. de impens. in res dot. partim etiam propter naturam relatorum. quod ab exemplis intelligetur. nam si frater societatem cum fratre cōtrahens patrem facit socium: etiam alter frater eundem suum patrem socium faciet. Item, si frater locans fratri, patrem facit locatorem, alter frater conducens, patrem quoque conductorē faciet. Denique in obligationibus contractis cum extraneis, hoc perspicuum est. Nam ut ex credito filii pater creditor efficitur: sic ex debito efficitur debitor. l. si filius, 21, D. de damn. inf. l. mandati, 46, D. de negot. gest. At in ipsorum filiorum contractibus inter ipsos factis, absurdum est. Nam isto modo pater vnius eiusdemque rei nomine simul & debitor & creditor existeret. quod neque rerum natura, neque ciuilis ratio patitur. l. heres, 21, §. quod si stipulator. D. de fideiuss. l. si id quod, 21, D. de lib. leg. Qua de causa confusio hæc appellatur. d. l. stichum, 95, §. aditio, D. de solut. Neque obstat quod modò diximus, patrem ex filii cum extraneo contractu posse, & creditorem & debitorem esse: id est, tum agere, tum conueniri actione de peculio posse. Nam id verum est diversorum nominum & obligationum & summarum respectu. At in casu nostro de vnico nomine

nomine & eadem summa quærebatur: cuius Se-
cundus est creditor, Primus debitor: quæ con-
trariæ qualitates cadere simul in vnum eun-
démque non possunt. Idque argumentum va-
lere volumus ad obiectionem, qua vteretur for-
tasse quispiam: per subiectas personas meliore
fieri conditionem nostram posse, deteriorem
non posse. l. melior, 133, D. de reg. iur. l. 3. in fi.
Quod quisque iur. nam cùm pater filio peculii
administrationem permisit, ex ipsius persona
efficaciter æquè & obligatur & obligat. l. si pa-
ter, 12, D. quæ in fraud. cred. vbi filii creditores
etiam patris ipsius creditores esse dicūtur. adeò
vt ipsa mater cui filius debet, patrem ipsius filii
maritum suum obligatum & debitorē habeat.
l. si prædia, 58, §. 2, D. de donat. inter vir. & vx.
Tertium argumentum est, quòd si quæsita filio
naturalis obligatio patri quæreretur, pater ipse
obligari nunquam posset. alioqui sibi metipsi
obligatus videretur: contra l. cum filio, II, de le-
gat. I. Passim autem traditur atque etiam hac
ipsa lege, in §. quæsitus, confirmatur, patrem
filio debere, & obligatum esse, adeò vt illa pa-
tris obligatio, etiam post emancipationem du-
ret. Sed huic argumento video esse qui sic re-
spondeant, *Imò acquiritur ipso iure: sed quandiu*
pater ea acquisitione non utitur, id est, quandiu pe-
culum manet apud filium, non intelligitur ei acqui-
sita. Quid audio? Patrem tandiu filio naturali-
ter non obligari, quādiu peculium apud filium
esse sinit: pòst verò naturaliter obligatum esse?

hoc verò nimium perquam absurdū est. cùm Vlp.in l.6,§.sicut. D. de pec.legat. tam apertè scribat, id quod dominus seruo debet serui peculium augere.item in l.7,§.3, D. de pecul. Sed & id,inquit,quod dominus sibi debet,in peculium habebit. Naturaliter ergo & pater filio & filius patri,& fratres ipsi inter sc, manente peculo obligantur:contractaque naturalis illa obligatio sublata potestate patria permanet:quāuis peculium interierit.l.1,§.2,& l.vlt. D. quod cum eo. Deinceps altera obiectio videnda est. nam hīc occurritur ab amico nostro, quem minime superbia decuit. Obiicit l. sed si, 9, §.1,D. de pecul. vbi tamen non animaduertit desiderari vocem F R V S T R A,aut eiusmodi quāpiam:vt sit,Huic definitioni frustra Seruius adiecit. cùm ita dicitur , peculium olim definitum esse , deducto eo quod domino debetur: cui definitioni , Seruius summus definendi artifex,& peritus Dialecticus, adiecit: *Etsi quid ijs debeatur, qui in eiusdem potestate sunt.* Sed hoc quoque,inquit Vlp.domino deberi,nemo ambigit:quasi superuacanea Seruij adiectio fuerit.Primū si pro Seruio disputare cum Vlpiano fas est , quæro vtrum naturaliter debitum istud æstimetur,an ciuiliter? Si naturaliter, perspicue id falsum est. natura. n. seruilem conditionem non agnoscit.l.quòd attinet,D.de reg. iur. Itaque illo iure tam debet dominus seruo, quam hic illi.Sinautem ciuiliter, multo absurdius.nam ciuiliter debitum inter seruos & do-

minos non dicitur.l.nec serui,41, D.de pecul.l.
fideiussor,16,§.fideiussor, D. de fideiuss. Itaque
mirum est Vlp. ipsum in l.6, D. de pecul. leg.
hanc Seruui adiectionem seruasse: *siquidem*, in-
quit, *nihil sit, quod seruus domino, uel conseruis libe-*
risue domini debeat. Sic Imperator, vel Caius po-
tiūs, in §. cùm autem,5. *Quod cum eo qui in al-*
Cùm autem quæritur, inquit, quātum in peculio sit,
antē deducitur, quicquid seruus domino, eiue qui in
potestate eius sit, debet, &c. *Quid ergo est? necesse*
est videlicet, quod Vlp. scribit, ea quæ seruo à
conseruo debentur, domino deberi: non de na-
turali iure intelligi, ac ne de ciiali quidem pro-
priè, verùm abusive & impropriissimè: vt non
re ipsa domino debeantur, sed vi ac potestate:
quoniam serui peculium domini nutu prope-
modum extinguitur. nam simulatque non vult
peculium serui esse, desinit peculiū esse: ait Pau-
lus in l. non statim,8, D. de pecul. *Quid verò si*
etiam quis, id quod ibi Vlp. de conseruis scri-
bit, ad filios fam. pertinere neget? cùm inter ius
peculii serui & filii plurimum interesse cōstet.
vt l.serui,14, & l.filius,39, D. de oblig. & act. &
l.3,§.vlt.D.de minorib. nam si quodcunque fi-
lius fratri suo debet, simul patri debet, quid est
quod idem Vlp. ait in l.3,§. Pomponius, D. de
minor. & in l.si statu libera, 6, §. si filius, D. de
statu lib. mortuo filio(puta creditore fratris)pa-
trem eius quasi heredem esse? Etenim si quasi
heres est, nunc demum creditor esse incipit. at
viuente filio creditore, non fuit. Quare de illa

noua Vlpiani sententia sic habēdum est: quan-
diu duo filij aut conserui in eiusdem potestate
manent, tandem illorum inter se obligationem
ad patrem aut dominum nō pertinere: sed cūm
naturales sint, naturaliter æstimandas esse. At
verò alterutro mortuo, aut sui iuris facto, tum
sine dubio pertinere. nam in casu nostro, siue
Secundus, qui creditor fuit, moriatur, pater de
Primi debitoris peculio debitum illud dedu-
cet: siue Primus debitor moriatur, & Secundo
emancipato pater soluat, non repetet: quemad
modum tum ex Africani disputatione planis-
simè intelligitur, tum etiam ex d. i. si noxali, II,
D. de pecul. Quare isto casu non modò Vlp. re-
ctè dixit, quod conseruo debetur, domino de-
beri: verum etiam ex contraria parte rectè di-
xisset, quod conseruus debet, dominum debe-
re. Quinetiam illud singulari obseruatione di-
gnum est, quanvis naturalis obligatio filii vel
serui cum extraneis, pátri vel domino non ac-
quiratur: tamen ex illa naturali obligatione ci-
uilem illis obligationem cum extraneis vtraq;
ex parte acquiri. nam vt de peculio in ipsos a-
gitur, ita ipsi aduersus extraneos ciuiliter agūt.
d.l.nec seruus, 41, D. de pecul. tametsi pater ci-
uiliter non obligetur. l.8, §. vlt. 8. de acceptil.
Venio nunc ad alteram huius erroris originē.
Nam cūm regula iutis sit, vt aditione hereditati-
ris creditoris, aut debitoris, confundatur obli-
gatio etiam naturalis: d.l.stichum, 95, §. aditio,
D. de solut. & l.heres. 21, §. quòd si, D. de fideius.
argumentum inde ductum est. Primi debitoris

obligationem pro qua parte patri heres extitit, confusam, ac proinde extinctā fuisse. Hoc cùm Accursij, tum aliorum omnium veterum commune argumentum fuit: quod nunc à recentioribus renouatum est: à quibus nihil quicquā noui præter verborum contumeliam Iurisconsultis indignissimam afferri video. Sed illi argu mento perfacile est multis modis respondere. Primūm hoc modo: Si quia Primus debitor pa tri creditori heres extitit, confusa obligatio de bitoris est: etiā quia Secūdus creditor patri debitori heres extitit, cōfusa creditoris obligatio est. Relatorum. n. hæc vis est. Itaq; si societas inter fratres cōtracta ob patris mortē vna ex par te dirimatur, etiā altera ex parte dirimetur. Creditoris autē obligationē per hereditatis aequi fitionē confusam non fuisse, Africanus demō strat, cùm ait, illā per participationē peculij, ex eo, inquā, quòd Secūdus è Primi peculio partē adeptus est, sublatam fuisse. nam si semel per confusionem perempta fuisset, iterum per peculij participationem périmi non posset. l. 3, in fin. D. de duabus reis. l. qui res, 98. §. aream, D. de solut. Præterea si per confusionem obligationis perempta Secūdi obligatio fuisset, quid opus fuit, Africanum aliam in Primo, aliam in Secundo caussam peremptæ obligationis pro ferre? Cur non uno verbo dixit, Primum omnia sua quinquaginta repetitum: propterea quòd per aditionem hereditatis patris, vna ex parte creditoris, altera ex parte debitoris, cōfusa ob-

ligatio perierat? Neque verò nos moueat quod
in d. l. stichum, & d.l.heres, scribitur, etiam na-
turalem obligationem aditione hereditatis
creditoris aut debitoris confundi: quia natura-
lis obligatio disertè exponitur, ea quæ cum ex-
traneis, puta cum pupilo, contracta est: in qua
illud accidere omnino necesse fuit. Sed in se-
quens responsio planiorem huius obiectionis
solutionem ostendet. Nam etsi aditione here-
ditatis creditoris obligatio confunditur, tamē
animaduertendum est, in caussa proposita non
aditionem, sed immixtionem fuisse. non extra-
neos, inquā, sed filios fam. heredes extitisse pro-
poni. §. extraneus, 6, de her. qual. & diff. l. impu-
beribus, II, l. cum bonis, 87, D. de acq. her. Quo
niam autem de iure ciuili iam tractamus, ciui-
lem quoque subtilitatem & tractationem adhi-
bebimus. Ergo quantum his casibus inter adi-
tionem & immixtionem intersit, primùm ex
eo intelligitur, quòd in aditione diuersæ & a-
lienæ personæ sunt, debitoris succedētis, & cre-
ditoris defuncti: vt non mirum sit, si confusio
eueniat. At in immixtione, non modò nō alien-
nus succedit, sed ne alius quidem succedere vi-
detur. pater. n. & liberi eadem persona censem-
tur. Deinde in aditione, diuersa & varia patri-
monia sunt debitoris succedentis, & creditoris
defuncti. nam heres nouum sibi & alienum do-
minium acquirit. at in immixtione vnicum pa-
trimonium est: neque nouum dominium acqui-
ritur, sed vetus continuatur. §. si autem, de her.
qual. & diff. l. r. §. largius, D. de success. edict. &

lin suis, 11, D. de lib. & post. vbi Paulus ait, filios patre mortuo non hereditatem percipere videri, sed liberiorem bonorum administrationē consequi. qua de caussa filii fam. non adire, sed retinere hereditatem dicuntur, l. si patronus, 12, §. vlt. D. de bon. libert. l. 2, C. pro hered. Quin ne illa quidem prætermittenda differentia est. quod in casu aditionis de sola hereditate agitur, id est, de debitoribus & creditoribus hereditariis. at in casu nostro, non de hereditariis, sed de peculiariis debitoribus & creditoribus agitur. In quo pondus ac momentum permanenum est. neque n. si aditione hereditatis, cœditoris obligatio confunditur, i. c. circo peculii retentione confunditur. In quo satis mirari nō uum illud amici nostri præceptum non queo: Notandum est duobus modis confusionem obligationis fieri, acquisitione hereditatis, & acquisitione peculij: si peculium debitoris ad creditorem peculiarem peruenierit. Quis vñquam antehac audierat, filios fam. patre mortuo suum peculium acquirere? At ne hereditatem quidem acquirunt: vt paulò suprà dicebamus. quinetiam pater in filij mortui peculio quasi heres existere dicitur. d. l. 3, §. Pomponius, D. de minor. & l. 6. §. si filius, D. de statu lib. Quod si filij paternam hereditatem retinere dicuntur, quanto magis peculium? præ fertim si eiusmodi sit, vt non à patre id acceperint, sed sua industria pararint? velut in l. peculium, 39, & l. non solum, 48, D. de pecul. Ex quibus intelligi potest, quām dictu absurdum sit,

naturalem filiorum fam. obligationem ob peculium ab illis acquisitum confundi: quām parum, inquam, illum hæc decuit scribere, qui pri uato consilio magisterium in alios sumpsit. At si tibi scutica domi est, & nobis flagrum domi. Superdicto, inquit, opus fuit: μὴ κακούργη τινὰ νομίκην. Quæ, malūm, barbara ista iuris tractandi ratio est, in personam scribere, non in rem? & doctissimos quoque, modò Germanos, modò Italos & Insubres, modò Gallos, probris & contumeliis laceffere: suaque scripta maledictis & cōuiciis infarcire? At quónam tibi superdicto est opus? Ἀλλων ιατρὸς, αὐτὸς ἐλεύθερος βρύων. Sed vt ad rem redeamus, quid si pater Primo credidisset, Secundo debuisset? quid censes? anno patre mortuo, simulatque filij se se ipsius hereditati immiscuerint, æquè Secundi qui creditor fuerat, obligatio confundetur, vt illa Primi, qui creditor? siquidem (vt antehac creditum est) in casu nostro Primi immixtione obligatio ipsius confundebatur. Quid? Ponamus locationem & conductionem inter ipsos fratres contractam. Dicant nunc, qui solius Primi obligacionem confundi affirmant, anno patre mortuo æquè vtriusque, & locatoris, inquam, & conductoris, confundatur obligatio? cum tamen alter alteri & debitor & creditor sit: neq; vna ex parte obligatio cōsistat. l.i.D. de rescind. vend. l.bona fides, 50, D. de act. empt. l.vlt. D. de acceptil. Quid verò alter ille nescio quis ad hæc respondebit? ille, inquam, temulentus, turbulen-

tus, lutulentus : qui cùm crapulam suam exhalaret, ad oram libelli publici sic adscripsit: *Perperam et contra iuris disciplinam quidam hic addidit negationem.* O peritum iuris scholiasten, sed vindemialis, non Justinianici ! quām eleganter Demetrius dixisse fertur, eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus ! quid igitur nostra refert, sursum iste an deorsum sonuerit ? Quare omissis istis, quæ à me contra perpetuam meam annorum viginti confuetudinem tantæ contumeliæ indignitas expressit, breuiter concludendum est. Nam si iam doceamus aditione hereditatis peculiarē obligationem non confundi, quid controuersiæ supererit ? Attēdat igitur eruditissimus Roaldus, & si quis alius arbiter futurus est. Vlpianus in l. sed si, 9, §. sed &, D. de pecul. scribit creditorem serui, qui heres domino ipsius extitit, deducere de peculio quod sibi debetur, si conueniatur. Rursus in fi. §. si ei qui post mortem intra annum potuit cōueniri de peculio, heres extitero, deducam quod mihi debetur. Rursus Gaius in l. si quis seruū, 29, D. de pecul. scribit, si creditores serui domino heredes extiterint, ipsos inter se agere de peculio posse. Rursus ex contrario, Julianus in l. si creditor, 37, D. de pecul. Si creditor, inquit, filij tui heredem te insti-
tuerit, & tu hereditatem eius vendideris, tenebere de peculio. Quod etiam confirmatur in l. eo tempore, 50, §. 1, D. cod. & rursus in l. cum quo, 56, D. ad leg. falcid. Rursus, si filius patrem

suum debitorem peculiarium habeat, tantum abest ut immixtione confundatur obligatio, ut id in familiæ erciscundæ iudicium inducatur, l. filiæ, 20, §. 1, & l. heres 25, §. si filius, D. familiæ ercisc. Eodemque pertinet, quod si fideiussor manumissi, eidem heres extiterit, naturalis tamen illius obligatio permanere dicitur in l. heres. 21, §. 2, D. de fideiuss. Sed ne tā longè abeamus, Africanus noster hac ipsa lege, Africanus, inquā, noster, in vers. Adeo ut si, perspicuè idem ostendit: vbi scribit, si duo sint filij, quorum Primus Secundo debeat, tum ambo filij heredes instituti, Primo autem suum peculium prælegatum: naturalem tamen inter illos fratres obligationem durare: quanuis patris hereditati sese immiscuerint. Quod qui tam dilucidè dictum non animaduerterunt, considerent ipsi sècum, vtrum scutica, an flagris, vel propter tantam in cæcitate superbiam, vel propter contumeliosam linguæ petulantiam, digni sint. Nam hac modesta commonitione in præsentia contentus ero, quantumuis contumeliosè laceſſitus: ne in quo alios reprehendo, id ipsum videar imitari. Verū ecce aliud quod ferè præterieram. *Huic sententiæ* (inquit amicus noster) opponitur quod est in l. 6, et l. 8, C. ad l. Falc. l. I, §. si debitor, D. eod. in ponenda ratione legis Falcidiæ heredem deduere et retinere, quod si h. defunctus debuit: et bonis computare, quod defuncto debuit. Nihil est quod tam facile expedire possim. Ideo quod initur ratio omnium bonorum quæ mortis tempore fuerunt, per in-

de atque si quæ tūm fuerunt, & nunc essent. Hanc vel obiectionem vel solutionem si Roaldus vir acutissimus intelligit, caussam non dico, quin obtusi ingenii existimer. In ponenda ratione Falcidiæ, mortis tēpus spectatur: quoniam (inquit interpres noster) initur ratio honorū quæ mortis tempore fuerunt. Eadem videlicet per eadem. Sed cur eius temporis ratio ducitur, aut verò quid hæc ad institutam disputationē pertinent? id est, ad naturalis obligationis perseuerantiam, etiam post aditionem hereditatis debitoris aut creditoris? Ergo intelligendum est, siccirco mortis tempus spectari, hoc est, dodrātem & quadrātē ideo ex ea quātitate quæ mortis fuit tempore æstimari: quoniam quicquid post testatoris mortē damni lucrīe cōtingit, id totum heredi contingit. l. in quantitate, 73, D. ad leg. Falc. quippe cūm à tempore mortis successisse intelligatur. l. heres quandoque, 54, D. de acq. her. l. omnia, 153, de reg. iur. Quare quæcunque vel heres testatori, vel testator heredi, etiā ciuiliter debebat, ea omnia in assem hereditarium imputātur. sed quorsum hæc, aut verò qua ex parte ad institutam disputationē pertinent? An vt opponatur, naturalem obligationem per aditionem hereditatis confusione non extingui? At ne ciuilis quidem extinguitur. quoniam (vt modò dictum est) ex mortis tēpore ratio ducitur. Nihil igitur nec obiectio ad institutū pertinet, nec solutio ad obiectiōnē. Agè, cetera videamus. Opponitur (inquit idē

amicus noster) l. debitor, 59, D. ad Trebell. quæ etiam si creditor debitori successerit, ait propter pignus manere naturalem obligationem. Nihil est quod tam facile expedire possim. significat enim propter alia non manere, & esse confusam. Confusione tollitur omnis personalis obligatio, etiam naturalis. Obligatio realis, id est pignoratitia, non tollitur. Hic te, Roalde, appello, & tuam attentionem exquo iro. Verus debitor, qui pignus dederat, & civiliter & naturaliter obligatus erat. l. Julianus, 60, D. de cond. indeb. Cum creditor heres institutus hereditatem ex fideicommisso restituisset, quarebatur de pignore, quod dominij iure possidere postulabat. Dubitandi caussa erat, quia ius pignoris extinctum videbatur dominio acquisito. Neque. n. potest pignus perseverare domino constituto creditore. l. pen. D. de except. rei iud. Paulus tamen respondit, propter pignus naturalem obligationem remanere. nam haec illius verba sunt. Quero iam ex te, Roalde doctissime, utrius obligatione Paulus hisce verbis designet: personæ, hoc est, ipsius debitoris: an rei, hoc est, pignoris? Dices, opinor, absurdam esse quæstionem: primum, quia Paulus dilucidè naturalem obligationem ad ipsum debitorem refert. deinde quia nunquam fando audita est naturalis eiusmodi pignoris obligatio, & ab eiusdem ciuali obligatione discreta. Ecquonam igitur modo Paulum cum aduersario suo conciliabimus? cum ille sic scribat: Remanet propter pignus naturalis obligatio debitoris. hic vero sic, con-

fusione tollitur omnis personalis obligatio, etiam naturalis. obligatio realis non tollitur. Annō apertè Paulus affirmat, naturalem obligationem manere: alter apertè affirmat, eandem tolli? Quid verò illud est tam ἀκύρον, obligationem realem non tolli? An ergo rei pignoratæ alia ciuilis, alia naturalis obligatio est, quarum illa tolletur, hæc manebit? Præterea quid ad Paulum, aut Pauli institutum obligatio illa realis? cui propositum est ostendere, aditione hereditatis debitoris, cī uilem quidem obligationem confusione tolli: naturalem non tolli: in quo superior nostra disputatione versabatur. Verūm hæc quidem ad l. frater à fratre, satis supérque dicta sint. Sequitur altera criminatio, his verbis: *Et hidem etiam eodē libello titulos Digestorum nobis corrumpunt: ut nō dicamus, Quarum rerum actio non detur, sed Quarū rerum exceptio, uel, exactio. item, non, De conditione caussa data: sed, De conditione caussa dati.* Corrumpi videlicet amicus noster statuit, quæ contra sententiam suam in libris nostris emendantur. Isto modo si corruptor ipse ex opinione nostra dicendus esset, quām multas momenta temporis corruptelas proferre possemus? sed sua cuique rei maturitas est. nūc quod instat agemus. Ergo quantum ad priorem titul. sic respondeo: Titulus ab argumēto & tractatu dissentaneus, sine dubio pro vitioso & mendoso habendus est. Hic titulus ab omni argumento quod sub eo tractatur, abhorret. nihil habet commune cum vlla vel minima tractatus parte. Nego ver-

sum esse vllum,in quo tractetur cuius rei actio non detur. Dico seriem Rubricarum flagitare titulum ad exceptionum argumentum accommodatum.Primus huius libri titulus est, De exceptionibus: secundus, De exceptione rei iudicatae: tertius, De diuersis & tempor. except. quartus est, De doli & metus exceptione: quintus erat antehac, Quarum rerum actio non detur. Primùm hanc rubricam ordo & continuatio titulorum respuit. Deinde in toto tractatu versus ostendi nullus potest, in quo de actione disputetur: quinimo nullus in illo tractatu versus est, in quo non de exceptionibus agatur. Si versum vnum notare mihi doctissimus Roaldus potest, qui per uulgatae rubricæ respondeat, causam non dico, quin pro cæco & imperito numerer. Quod si versus ostendi eiusmodi nullus potest, concludo mendosum, ac propterea corrigendum esse titulum: ut pro **A C T I O**, repnatur **E X C E P T I O**. Quid ad hæc criminator noster? *Dixi*, inquit, *in paratilis*. Eoru igitur verba audiamus: *Non dari dicitur actio, quæ exceptio ne eliditur: ut in S.C. Mædoniano.* Quid audio? Ec cui vñquam Iurisconsisto modo loqui in mente venit. quid? si actio non detur, ecquónam modo per exceptionem elidetur? Quid ergo est, quod Iustinianus sub tit. de except. toties inculcat? tum demum exceptionem dari, cùm actio quidem compétit: sed iure summo & stricto, & contra naturalem æquitatem competit: tum denique, cùm ius sumnum summa iniuria

est. §.1, §.2, & pass. de except. l. 1, D. de dol. ex-
cept. l. ex diuerso, 17, §.1, D. sol. matr. Atenim
scriptum est in S.C. Macedoniano: de pecunia
filiof. credita , nec actionem , nec petitionem
dari l.1, l. sed si, 9, §.2, D. ad Maced. §. quæ dixi-
mus, 8, Quod cum eo qui in al.l. si filius, 6, C. ad
Maced. & tamen paſſim dicitur, filiofa. exce-
ptionem senatuscōſulti dari. Nimirum, inquit
amicus noſter, in S.C. Maced. denegari dicitur
actio, quæ tamen ſine exceptione non infirma-
tur. Hoc verò perquam absurdum & ineptum
est. Quis enim ignorat, de pecunia filiof.. credi-
ta interdum actionem non dari, interdum da-
ri? Si de filiifam. conditione Prætori conſtet,
Prætor actionem denegat. quod verbis S.C. de-
monſtratur. ſi non conitet, actionem quidem
concedit, ſed ſub illa exceptionem ſubiungit.
quod non ex verbis, ſed ex mente ſenatuscon-
ſulti intelligitur. ac ſic accipiendum eſt quod
ſcribitur in l. item ſi, 7, §. non ſolūm, D. ad Ma-
ced. & l. ſed ſi pater, 9, §. hoc S. C. D. eod. vbi
denegari dicitur actio, non (vt noſter interpre-
tatur) cui exceptio ſubiungitur: ſed planè quæ
ipſo iure non datur. eodēmque modo accipiē-
dam l. veluti, 27, D. de verb. oblig. perſpicuum
eſt ex l.1, §. idem, D. de dol. mal. vbi diſertē &
nominatim id traditur: iuncta l. ſi flagitijs, 123,
D. de verb. oblig. vt me certē tantæ incitiae in
tanta ſuperbia pudeat. Neque vel Petrum Fa-
brum, virum clarissimum, quantumuis aduer-
ſarii noſtri amicum, iudicē recuſo. ſpero enim

maiores illum suæ dignitatis quām amicitiæ rationem habiturum. Quare rem paulo dilucidius exponam. Iurisiurandi exceptio passim dicitur ei dari, qui se non debere iurauit. §. 4, de excep. & aliis locis innumeris. Et tamen Prætoris edictum ita conceptum est: *Eius rei de qua insurandum delatum est, actionem non dabo*, l. 7, D. de iure iur. Verūm Vlp. mox solutionem subiungit: *Posteaquam iuratum est*, inquit, *denegatur actio: aut si controversia erit, id est, si ambigitur an insurandum datum est, exceptioni locus est*. l. 9, D. eod. Ridiculum igitur esset dicere, quo casu fœneratoris actio filiifam. exceptione summovetur, actionem denegari. nam quomodo summovetur actio, quæ data non est? quod. n. alibi scribitur nihil interesse, vtrum ipso iure actionem quis non habeat, an per exceptionem infirmetur: l. nihil, 112, De reg. iur. l. & eleganter, 7, §. seruus, D. de dol. mal. hoc ad actionis effectū referendum est, nō ad veterum iudiciorum formam, ritum & ordinem: vt cùm dicitur actionem non habere is, cui propter aduersarij inopiam inanis actio est. l. 6, D. de dol. mal. cùm tamen inanis actio etiā dicatur (ab effectu videlicet) cui firma exceptio subiungitur. l. pen. D. de cōd. ob turp. causs. Ergo ybi actio ne iure quidem ciuili constat, veluti cùm ab initio cōtracta obligatio non fuit, Prætor nihil necesse habet exceptionem addere: quia ne actionē quidem concedit. d. l. si flagitijs, 123, de verb. obl. l. 5. C. de cond. ob turp. causs. & d. l. 1, §. idem, 4,

D. de

D. de dol. mal. ex qua interpretāda est l. pen. D. de cōd. ob turp. vbi nō ita de turpi cautīa constiterat, vt Prætor actionem denegaret. at vbi summo & subtili iure constitit obligatio, veluti cūm dolo, vel metu contracta stipulatio est: actionem quidem Prætor concedet: verūm eius iniquitatem exceptione corrigit. l. si quis, 36. D. de verb. ob. l. si quidem, 9, C. de contr. stipul. Et hoc idem in S. C. Velleiano licet animaduertere: nām et si passim senatus-consulti exceptio commēmoratur: velut in l. si mulier, 15, l. 16, & l. 17, §. si mulier, & l. 30, D. ad Velleian. tamen S.C. ita conceptum profertur: Ne eo nomine ab his petitio, néve in eas actio detur. quinetiam Pompon. in l. vlt. §. pen. Totius, inquit, sermo senatusconsulti ad petitio- nem non dandam aduersus ipsam mulierē spe- etat. quid? annon idem Pompon. superiore pro ximo § dixerat, interdum etiam senatusconsul- ti replicationem dari? Sic igitur statuēdum est, ut modò diximus ex l. 8, De iureiur. si de factō Prætori constet, denegari actionem: si non cō- stet, dari: sed exceptionē subiungi. Supereft titulus, De condic̄t. caussa data: vbi corrigēdum esse contendō, Caussa dati. Argumenta autem hæc habeo. Primūm Latini sermonis ratio ita flagitat: deinde Imperatores in Codice Rubri- cam illam isto modo proposuerunt, De cōdict. ob caussam datorum. Tertiō reliquæ cōdictio- nes omnes sic nominantur: veluti Condictio certi, condictio incerti, condictio indebiti, li-

berationis, furti. Cur in cæteris omnibus Latinæ linguæ ratio seruabitur, in illa sola violabitur? *Quoniam* (inquit amicus noster in Paratitl.) uerba legis hæc sunt. Eccius tandem legis? Si lex vlla populi R. proferatur, in qua scriptum ita sit, cedo manum, & me victimum agnosco. An igitur edicti prætorii? vt in eo fortasse ita scriptū fuerit: Causa data, caussa non secuta, vt condicatur. actionem dabo. Primùm proferri edicti verba oportuit. nam dum illa non proferetur, non modò ignorare, verum etiam negare nobis illam verborum formulam licebit. deinde vt maximè hæc formula proferatur, an iccirco Condictio caussa data dicenda erit, potius quam caussa dati? cur igitur Imperatores Condictiōē ob caussam datorum appellarunt? cur eadem dicitur Condictio ob rem dati? in l. vlt. D. de cond. causs. dat. Præterea ponamus ita conceptum edictum fuisse, Indebitum solutū vt condicatur, actionem dabo: continuōne rectum erit dicere, Condictiōē indebitum, potius quam indebiti? Verūm hæc plurib⁹ persequi quæ sole ipso clariora sunt, propè putidū videtur. Illud non alienum erit querere, si propositum fuit amico nostro veteris illius libelli quem adolescens edideram, emēdationes persequi, quid ita correctionem illam alterā prætermisit, ubi Rubricam Institutionum De exhered. liber. ita correxeram: De instit. & exher. liberorum? nimis, quoniam biennio post libelli nostri editionē, notas euulgauit in Instit.

in quibus, meo nomine suppresso, ita scripsit,
Titulus hic rectius de Instit. & exheredat. li-
berorum inscriberetur. Ergo quia & mutatio
mea, & ipsius mutuatio adhuc placet, præter-
missa est huiusce correctionis criminatio. V At
ego aliquanto post in meis Institut. commen-
tariis peccatum illud meum agnoscēs, ingenuē
scripsi, malē tum me de illa Rubrica existimas-
se, cæcumque aliorum ducem fuisse. Ex quo e-
ruditi viri de vtriusque nostrū vel bona vel
mala fidē existimare poterunt.

Z.ii.



APPENDIX AD VER- SVS NOVAM EIVSDEM

LEGIS INTERPRETATIO-

*nem, nuper à Lescurio eruditissimo viro
promulgatam.*

DITVS est nuper, sub nomine
Lescurii iurisconsulti, libellus eru-
ditè scriptus, in quo noua huius
eiusdem legis interpretatio ita
profertur, ut nostra perspicue(mo-
destè tamen & sine vlla contumeliæ nota)re-
pudietur. Et quoniam iam doctus ille vir quisquis
est, honorificè semper & amicè nomen meum
vsurpauit: dabo & ego operam ne meritus ho-
nos illi à me denegatus esse videatur.

Caußam igitur ita constituit, quasi non
terque frater (Primus, puta, & Secundus) pecu-
lium habuerit, sed Primus tantum. qui verò pe-
culium non habebat, aliunde pecuniam mu-
tuatus sit, quam postea Secundo peculium ha-
benti crediderit. Quid enim (inquit Lescurius)
si extraneus in hoc ei det, fratri ut credat pecu-
lium habenti? Patre autem mortuo, eam per er-
rorem Primo fratri, eidemque creditori suo, red-
diderit? Nunc quæri putat, an Secundus à Pri-
mo repetere illam, quasi indebitè solutā, possit:

Africanum autem respondisse, Vtiq; quidem,
 (hoc est, certè ac sine dubio) pro ea parte, qua
 Secundus patri suo heres extitit, repetiturum.
 quid ita? quoniam (inquit Lescurius) aditione
 hereditatis creditoris fit confusio, debitumque
 extinguitur. l. stichum 95. §. aditio, D. de solut.
 quæ per uagata & trita & decantata, cùm do-
 ctorum omnium, tum etiam alterius aduersa-
 riī nostri ratio est: & (quod sine offensione di-
 ctum velim) quasi quodammodo crambe reco-
 cta. Cur autem eruditō illi viro Lescurio in hac
 noua interpretatione, quæ (vt opinor) nunquā
 cuiquam ex Doctoribus in mentem venerat,
 assentiri non possim, caussam exponam: nec ita
 multo póst. Prius enim Lescurii industriam ad-
 iuuabo: & caussam ita cōstituam, vt prima spē-
 cie vulgata huius legis scriptura integerrima vi-
 deri possit, meámque illam emendationē im-
 portunitatis condemnatura. Ponamus enim
 non Secundum Primo, sed Sempronium illorū
 patrē Primo quinquaginta credidisse. hoc cre-
 dito naturalem patri quæsitam obligationem
 cōstat. §. quæsitū, in hac ipsa l. Postea Sempro-
 nio mortuo, vtrumque filium ei ex semisse he-
 redem extitisse. Primum autem Secundo per
 imprudentiam quinquaginta illos aureos, qua-
 si ex efficaci obligatione debitos, persoluisse.
 Nunc consultum Africanum an & quatenus il-
 los repetere, quasi indebitè solutos, possit: re-
 spondisse, pro qua parte patri suo creditori de-
 bitor ipse successit, repetiturum, hoc est x x v.

quoniam aditione siue immixtione hereditatis creditoris confusa obligatio est.l.i,§.pen.
D.ad leg. Falcid. pro qua verò parte Secundus patri heres extitit,hoc est,pro altero semisse, peculiūmque Primi cum illa hereditate cōfusum participauit, ita repetitum , si non minus ex eo consecutus est quām ei ad solutionem supererat. propterea quōd naturalis obligatio, quam sibi Pater quæsierat,ad Secūdum pro hereditaria parte peruenerat. quippe,cūm naturales obligationes à defunctis non modò ad heredes,verumetiam ad fideicommissarios transcant.l. quanuis, 40,l. si eius pupilli, 64, D. ad Trebell. Hæc autē obligatio sublata per illam peculii participationem fuerat , pro qua parte Secūdus patri heres successerat. Reliquos igitur xxv Primū à Secūdo repetiturū. Qua ratione nihil primo aspectu aptius ad perulgatæ scripturæ interpretationē fingi videtur posse. Nam etsi Afric. verbo Secundū Primi creditorē faciat, tamen interpretes omnes(quos Lescurius secutus est)Patrē ipsum creditorem faciūt, propter vulgaram regulam,qua dicitur, Obligationem filio quæsitam statim ipso momēto patri adquiri.l.placet,79,D.de adq.hered. Verūm argumētum istud,quod firmissimum vulgus credit, verbo vno refellitur. Quid enim de Secundi peculio dicemus? An nō,vt Africanus rationem habuit eius quod Secūdus ex Primi peculio consecutus est, etiam habēda erit ratio eius quod Primus viciſſim ex Secundi peculio consecutus

fuit? Qua vna interrogatione omnes omnium interpretum vociferationes compescuntur. Itaque cum hoc Lescurius vir doctissimus sensisset, huius timore (ut Bartholus loquitur) nouam illam speciem confinxit, quasi Primus solus peculiatus fuisset, Secundus non fuisset. Atenim si peculium Secundus non habuit, unde pecuniam Primo credidit? Iccirco respōdet Lescurius dicendum esse, extraneum in hoc ei pecuniam credidisse, fratri ut credat peculium habenti. Caussæ igitur quamobrē erudito illi viro non assentiar, sunt huiusmodi. Primū, quoniam nouum est, credi pecuniam filiofam. ab extraneo, neque in paterna negotia, neque in caussam peculiarem, sed tantum ut eam alteri credat, cum etiam simpliciter vetitum sit, ne filiofam. mutuum detur, sancitumque ne de eius dicitur: hoc est, nequa eiusmodi mutui nomine vel actio vel petitio concedatur: ut ait l. 1. D. ad Maced. Quod autem Lescurius in testimonium profert l. sed si, §. 1. D. ad Maced. pace doctissimi hominis dictum sit, Vlpianus eo loco primū non de credita sed de donata filiofam. pecunia loquitur: deinde, non de donata ut credat, sed de donata ut creditori soluat. quod à specie nostra est alienissimum. Altera dissensionis meæ caussa est: quia si ex mutuo aliunde sumpto, Primus Secundo pecuniam credidisset, alienissimum esset existimare, patri eā obligationem adquiri, eūmque numerata pecunia, statim factum esse creditorem Secundi:

quod tamen Lescurius identidem inculcat. nā, vt illud demus, quod neque iam probare possumus , & superiore disputatione nostra ante biennium edita repudiauimus , naturalem Primi obligationem patri confessim adquiri : tamen illud intelligendum esset de obligatione ex re peculiari per filium acquisitā, non autem ex re extranei: in qua & ciuilis & naturalis æquitatis eum patri præferret.l. si quis mancipiis , 17, §. vlt. D. de inst. act.l. eo tempore, 50, §. vlt. D. de pecul.l, non debet, 41, §. i, l. iure nature 206. De reg. iur. Tertia & potissima cauſa est, quoniam Africanus totam suam disputationem & distinctionem in eo consumit, quod alter alterius peculium simul cum hereditate patris participarit. Pro ea parte, inquit, qua Primus patri heres extitit, ac proinde partem ex Secundi peculio simul percepit. Et mox, Pro ea uero parte qua frater Secundus patri heres extitit, ac proinde partem ex Primi peculio percepit, ita repetitur, si non minus ex peculio ad Secundum fratrem suum peruenisset. Ex quibus perspicuum est, Africanum ita cauſam constituisse, vt uterque frater peculiatus fuerit, sicuti Iurisconsulti nostri loquuntur(de quo Lescurius dubitabat) in l.siquid venditor, 18.D.de ædil.ed.& l.Iulianus, 13, §. si venditor, D.de act.empt. Atq; hæc quidē de noua cauſæ constitutione à Lescurio exco-
gitata, haec tenus. De cauſa autem cur Africa-
ni locum affirmatè legendum Lescurius existi-
met, quam ex vulgari, vt dixi, & inueterata opi-

nione sumpsit, summatim sic habendum est: Omne de naturali æquitate, de naturalibus obligationibus, de naturalibus condictionibus, disputationem, naturaliter & intelligendam & interpretandam esse. I. si quod dominus, 64, D. de cond. indeb. vt factum & veritatem solam spectemus, eamq; à iuris Quiritium fictionibus & argutiis distinguamus. I. 8, D. de cap. min. Itaque contracta naturali iure obligatio, per commenta & fictiones ciuiles non dissoluitur. veluti per emancipationem. vt Africanus ostendit in hac ipsa lege. §. quæsumus, & I. 8, D. de cap. min. & I. si noxali, II, D. de pecul. item per rem iudicatam. I. Julianus, 60, D. de cond. indeb. itē per iusurandum. I. vlt. D. de iureiu. si quidē simpliciter & per se iusurandum considerari posset, nam cum pacto nudo naturalis obligatio tollatur, iusurandum autem illud conuentionale sit, confitendum est naturalem obligationem per iusurandum propter conuentiōnem tolli. I. stichum, 95. §. naturalis, D. de solut. Huius autem iuris exempla hæc proferemus. Naturali, hoc est, gentium iure, (velut hodie apud plerasque gentes) tot in familia personæ numerantur, quot capita sunt, singulæque pari & eodem iure censentur. I. quod attinet, D. de reg. iur. At iure Quiritium, omnes qui in eiusdem potestate sunt, una persona censentur. I. si quis, 56, §. I, D. de fideiuss. I. si Paphilo, 10. D. de opt. leg. Lactant. Inst. 4, cap. 29. Cum quis habet filium quem vnicè diligit, qui tamen sit in domo

& manu patris, licet ei nomine domini potestatēmque concedat, ciuili tamen iure & domus vna, & vnum dominus nominatur. Propterea iure naturali omnes uno generali nomine Homines appellabantur. l. 4, D. de iust. & iur. At iure **Quiritium**, alii patres familiās, alii filii familiās dicti sunt: quae nomina ciuilis iuris propria sunt. l. 4, §. qui sunt sui vel al. Item Iure naturali & gentium, velut hodie apud Polonos, Danos, Morauos, possunt filii separatum à patris bonis patrimonium habere: sibique seorsim suo labore & operis adquirere. ac multo magis fratres inter se distincta, etiā viuo patre, habere patrimonia possunt. absurdum quod esset hodie apud ilias gētes dicere, quod vnum frater quinquagenarius alteri paulò fortasse natu minori credidisset, id ipsorum patri deberi. pater denique hoc iure filio debere potest, adeo ut eius obligatio etiam post emancipationem duret, ut in hac ipsa lege, §. quæ situm. Singulæ namque personæ simpliciter iure gentium considerantur: neque **Quiritiū** iuris ratio habetur. d. l. quod attinet, De reg. iur. at ciuili fictione, & iure **Quiritium**, quo filius fam. in patris potestate est, neque proprium quidquam extra patris dominium ac potestatē habere potest: sed quidquid adquirit, patri cōfestim & in ipso momēto adquirit. l. 1, D. si à par. quis. l. adquiritur, 10, D. de adq. rer. dom. & ob eam ipsam caussam neuter alteri ciuiliter debere potest: non pater filio, propter regulam Iuliani, Quod quis ab alio stipulādo

mihi adquirit, id à me stipulando nihil agit, l.
sed et si, 25, §. idem Julianus, D. de usufr. nō filius
patri: quia cùm pater pro suo iure statuere in fi-
lium posset, nulla inter illos actio à veterib. cō-
cessa est. l. serui & filii, 17, D. de furt. l. lis nulla,
D. de Iudic. Quinetiam si quis arrogabatur, nō
modò ipse, verumetiā ipsius liberis, serui, boná-
que omnia in arrogatoris manum potestatém-
que transfibāt. l. 2, in fi. & l. 15, D. de adopt. l. pen.
D. de bon. poss. sec. tab. & postea quæcunque
adquirebat, arrogatori adquirebat, ante Iustin.
constitutionem: l. pen. C. ill. tit. & §. 1, Inst. de
adquis. per arrog. Neque tamen id eò pertinet,
quasi iure naturali & gentium non & filii &
patris nomen audiatur: sed quia filiifam. pa-
trifam. adoptionum, & emancipationum no-
mina & iura à iure Quiritium instituta, eiúsque
iuris propria sunt. l. 3, l. 4, D. de his qui sunt sui
vel al. l. 1, D. de rei vind. Quid multa? Iure natu-
rali filius eodem iure habetur (quantum ad re-
rum dominium acquirendum attinet) quo pa-
terfam. sicuti de milite dici consuevit: nimi-
rum, vt & pater filio, & filius patri ex causa pe-
culii castrensis debitor creditórve esse possit. l.
pater, 15, §. 1, D. de cast. pecul. vt seruus eiusdem
ab ipsius patre & stipulari & accipere possit. d.
l. pater, §. seruus. vt & filius patri, & pater filio
furtum facere possit: in uicémque furti agere. l.
si quis vxori, 52. D. de furt. aut eodem iure quo
emancipatus est, hoc est, vt sibi seorsim suóque
arbitrio adquirat. l. quòd autem, 6, in prin. D.

quæ in fraud. cred. l. i. D. si à par. quis. vt æs patris alienum ipsius æs alienum non censeatur. l. si quis, 5, §. parens, D. de lib. agnosc. vt cum pater litigare possit. l. vlt. C. de in ius voc. Itē iure naturali, quod frater fratri debet, patri non debet: neque quod seruus conseruo debet, aut ordinarius vicario, vicariūsve ordinario, domino naturaliter debet: quod vel hinc licet intelligatur, quòd Seruius summus definiendi artifex, ad peruvulgatam definitionem, Peculium intelligitur deducto quod domino debetur: adiecit, Vel iis qui in eius potestate sunt. l. sed si damnum, 9, §. i. D. de pecul. l. 6. D. de pecul. legat. l. si filio, 13. D. sol. matr. §. cùm autem, Inst. Quod cum eo. At iure prætorio, quo de peculio actio instituta est, quod seruo conseruus debet, domino deberi intelligitur. l. sed si damnum, 9, §. 2, D. de pecul. Sic enim illū Vlpiani locum interpretari necesse est: siue Vlpianus Seruii adiectionem improbarit, & scripserit (vt olim dicebamus) *Huic definitioni F R V S T R A Seruius adiecit: siue Q V A N V I S pro Q V O N I A M*, posterius sit legēdū: vbi Vlp. nō factū & ius naturale spectat, sed Prætorii iuris effectū, vt modò dicebamus. Postremò, vt ad institutū redeamus, serui iure naturali & obligāt & obligantur, l. serui ex delictis, 14, D. de obl. & act. at ciuiliter neq; obligāt, neq; obligātur. l. obligari, in fi. D. de obl. & act. l. vlt. §. vlt. D. ad Velleian. Cùm igitur ab Africano naturalis obligatio inter duos fratres contracta proferatur, &

de condicione indebiti soluti agatur, aurea Tryphonini regula seruanda est, ut debiti & nō debiti ratio in condicione naturaliter intelligatur. I. si quod dominus, 64, D. de cond. indeb. ac proinde solæ duorum fratum personæ per se consideretur: & (quemadmodum hodie apud multas nationes, in quibus iuris Quiritiū nomen nunquam auditum est, fieri constat) alter creditor, alter debtor constituatur: neque patris persona cum illis permisceatur: aut ciuilis illa fictio admittatur, qua dici solet, Vocem patris fam. & vocem filiifam. eandem esse: Personam patris fam. & filiifam. eandem esse: præsertim cùm illud ἄπορον inde sequeretur, vt si vi-nius nomine paterfam. esset creditor, alterius nomine debtor existeret: quod neq; naturalis, neq; ciuilis ratio ferre potest. I. cum filia, II, D. de legat. I, I. heres, 21. §. quod si stipulator, D. de fideiussor. I. si id quod, 21, D. de lib. leg. Satis ergo iam perspicuū esse arbitror, quamobrem patre mortuo naturalis obligatio Primi (quem debitorem posuimus) per hereditatis paternæ aditionem confusa non sit: cùm tam dilucidè probatum sit, Patrem cui heres extitit, eius creditorem non fuisse. quoniam naturalis obligatio ita intelligenda est, qualis ante iuris Quiritium nomen auditum, & patiumfam. ac filiorumfam. fictam communionem fuisset. At certum est, illo tempore quæsitam fratri ex suo credito obligationem nequaquam patri adquisitam fuisse. Quare, ne iuris illius, atq; (vt sic

dicam) temporis illius naturalis fines migremus: sed intra cācellos nobis à iure naturali circumscriptos maneamus. qua in sententia Bartholus quoque testatur nonnullos ex antiquis interpretibus fuisse: atque Accurtiū auctorem profert, qui affirmarit disputatum à nonnullis fuisse naturalem filii obligationem patri quæsitam non esse. Sed agedum: pergamus. Nunc enim peruulgatæ istius interpretationis absurditatem ita patefaciam, vt omnes eruditos tātæ inscientiæ, ne dicam stultitiæ, pudeat. Quæro enim, Sempronio patre mortuo, (quem vulgus propter l. placet, De adq. hered. Primi creditorem facit) Secundus, ad quem ex paterna hereditate illa rediisse obligatio singitur, qua fronte Primūm de quinquaginta sibi reddendis appellauit? atque vt non appellari, tamen quo iure Primus tantam se illi pecuniam dare oportere credidit? annō quia Secūdus patri heres existens, paterni crediti & obligationis successor erat? Certè: & hoc fateri aduersarios nostros necesse est. quid igitur? tāmne amens ac ye cors fuit Primus, vt fratrem patris heredem esse meminisset, se coheredē esse obliuisceretur? Aut non intelligo quid consulas (inquit Celsus) aut valde stulta est tua consultatio. Quod idem multo maiore cum ratione dicere Africanus potuisset. nam si adeo stupidum ponamus Primum fuisse, vt putaret se fratri totum debere, quia frater patris heres extiterat: ac nō cogitaret se iccirco totum debere, quia ipse

quoque coheres extiterat: ineptissimā ac stultissimam delatam ad Africanum consultationem poneimus, quod cūm tanti viri dignitate alienum est, tum verò referre illum hanc ridiculam consultationem in suos Cōmentarios voluisse, incredibile videtur. Neque huius sententiæ ac disputationis meæ iudicem recusabo clarifiedissimum, & omnibus ingenuis artibus politissimum virum ac Senatorem prudentissimum, Gilbertum Malocium, cui amico (vt video) cōmuni, suum libellū Lescurius dicauit. Sed quoniam & Africani respōsum subtilius est, quām .vt à quo quis facilè intelligatur: & scio nonnullos esse honestos adolescentes, quibus magis propter Doctorum suorum obseruantiam, & quasi partium studium, quām propter veritatem emendatio mea suspecta est, operæ pretium me facturum arbitror, si eius caussæ quam Africano propositam esse confido, constitutionem exponam, eāmque doctis viris quasi consultationem proponam. Nam (vt verè loquar) neq; vñquam antehac intellexi, neque adhuc intelligere possum speciem illam, quam superior adversarius noster his verbis exposuit, *Duo sunt fratres, Primus et Secundus. uterque habet peculium. Secundus de peculio suo Primo mutuam pecuniam dedit. Secundi obligatio pertinet ad patrem. Primi obligatio non pertinet ad patrem: cūm de peculio Primi & Secundo conueniri non possit: propterea quod nulla lis esse potest inter patrem et filium. Quid audio? Annon enim vicissim referri ac retorqueri sic*

poterit? Secundi obligatio non pertinet ad patrem (id est, patri quæsita non est) ut pater Primi creditor dici possit: propterea quod conuenire Primum de peculio non potest, cum lis nulla inter illos esse possit. Regula igitur illa tenenda est, ut in istiusmodi de iure naturali quæstionibus, iuris ciuilis argutiis & fictionibus locus non detur, qualis illa peruvulgata est personarum confusio, ut paterfam. & filiusfam. eadem persona censeantur: ac proinde filiofam. quæsita obligatio, patrifam. cōfestim adquiratur. Quare in hac quæstione, quæ tota est de iure naturali, ciuale filiorumfam. & patrumfam. nomen. remoueamus, naturale filiorum & parentum retineamus: & perinde quasi nunquam Quiritium ius auditum fuisse, ita simpliciter loquamur: atque ubi unus ē duobus filiis Sempronii alteri pecuniam crediderit, cum qui credidit, Creditorem: qui accepit, Debitorem nomine mus: Patrem neque debitorem, neque creditorem fingamus: ne personarum fiat confusio. alioqui si pater unius nomine creditor dicatur, viciissim alterius nomine debitor dicēdus erit, quod, ut iam demonstratum est, neque ciuilis, neque naturalis ratio patitur. Idque multo dilucidius in illa specie apparebit, si forte seruus filiofam. aut hic illi pecuniam crediderit. An non enim absurdior personarum confusio existet, cum ita dicetur, Dominum esse creditore filii: vel, patrem esse creditore serui? quas enuntiationes etiam communis sensus repudiat.

Nam

Nam si Secundi obligatio patri quæsita est , Primus nō iam fratri Secūdo ; sed patri debitor esse cœpit. Atqui Africanus Primū, nō patris sed Secundi debitore disertè appellat. *Longè magis, inquit, in eo quod fratri debuisset, indemne esse præstan dū.* Quòd si Primus fratris debitor fuit, certè nō pater ipsius creditor fuit , sed frater : hoc est Secundus. Neque dissimilis apparebit confusio, si ponamus Semproniū communē istorū patrē res Primi peculiares Secūdo pignori dedisse. nam & ob naturalē obligationē pignus cōtrahi cōstat, ex l.5,D.de pignor. & res filii peculiares à patre obligari, ex l.fideiussor, 26,§.j,D.eod. Ista enim quam vulgus sequitur, ratione, Sempronius Secundi respectu, creditor: Primi verò, debitor: atque adeo pigneratitius appellabitur. quod (vt dī xi) etiam cōmunis sensus respuit, atque aspernatur. Sed nihil est in hac tota disputatione quod mihi mirabilius videatur , quām è tot eruditis scriptoribus neminē fuisse, qui triplicē illam absurditatē animaduerterit, quam ex ista recepta & peruulgata huius legis interpretatione consequi necesse est. Nam primum omniū Africanus affirmasse dicitur, *Quia,* (sic enim voces illas PRO PARTE interpretātur) cùm Primus patri heres exstittit, (ac proinde debitor creditorū successit) cōfusa obligatio est , Primum id quod Secundo soluit repetitū. quod si ita est, Africanus quinqaginta ei aureos à Secundo attribuit : hoc est, quantū illi per errorem dissoluerat. Atqui continuo pōst idē Africanus subiūgit, *Quia Secundus Primi peculium in hereditate diuidenda participauit,*

Primum ab eo ita repetiturū, si Secundus ex Primi peculio non minus percepit, quām quantū ei debebatur. Non minus autē Secūdus percepit, nam cūm in Primi peculio centum essent, Secundus ex semisse heres quinquaginta consequutus est. Alteros igitur quinquaginta aureos Africanus Primo absurdissimè attribuerit.

Sequitur secūda siue absurditas, siue stultitia, quæ ex peruvulgata huius legis Scriptura & interpretatione consequitur. Nam cūm Africanus vtrumque fratrē peculiatū posuisset, ita tamē eius responsum vulgo interpretātur, quasi eius solius portionis rationem habuerit, quam Secundus ex Primi peculio cōsequutus est: eius autem quam Primus ex Secūdi adeptus est, ne mentionē quidem vllā fecerit. Nam in omnibus hominū istorum ad hāc legem cōmentationibus & disputationibus, litera de Secundi peculio à Primo participato nulla reperietur. Et tamen constat, Primum ex Secundi peculio (in quo quinquaginta posuimus) vigintiquinque percepisse. Horū igitur ratione Africanus Primo, pro quinquaginta Secundo solutis, cētum & insuper vigintiquinq; adiudicarit. Quo nihil stultius dici posse existimare, nisi tertia illa maior absurditas sequeretur, quam superius patefecimus: nimirum quod Primus iccirco Secūdo soluerat, qui apatri heres existens, eius obligationis successor erat: neque illi in mētem venerat, sefratri coheredē exstitisse: ac proinde pro dimidia parte obligationis eiusdem successorē esse. Quin ne illud quidē prætermittēdum videtur (quia mihi interdū cūm Latī-

nizātibus res est) quod Africanum, quo neminē
vnquā purius ac subtilius scripsisse arbitror, ine-
ptæ loquacitatis arguunt. Quorsum enim illud
tam absurdum & bis tamen inculcatū? PRO EA
P A R T E Q V A H E R E S E X S T I T I T.
Nā istorū ratione positū oporteret pro QVIA,
vel PRO P T E R E A Q V O D, vel, Q V A N-
D O Q V I D E M. quam interpretationē Latinæ
cōsuetudinis ratio repudiat. Atq; vt nihil isto-
rum à me confictū cognoscatur, proferāeam in-
terpretationē quā superior noster aduersarius in
suo libro totidē verbis proposuit, Cūm essent duo
fratres, Primus et Secundus: et Primo secundus pecu-
niā credidisset, ac mox obligationē naturalem ex caussa
crediti contractam pater adquisisset, ac deinde mortuo
patre uterq; patri heres exstisset et quis partibus, con-
fusa est naturalis obligatio: partim quia Primus debitor
patri creditori heres exstitit ex semisse, partim quia Se-
cundus heres patri ex altero semisse cepit iure heredi-
tario ex peculio tantum quantum erat in residuo debiti.
Atenim ne ista quidem admissa & recepta inter-
pretatione, confusa dici potest naturalis obliga-
tio, istic duabus de caussis: sed potius ob priorē
caussam, cōfusa, ob posteriorem, cōpensata. Ve-
runtamē si, quia Primus patri heres exstiterat, cō-
fusa erat eius obligatio, cur soluebat? annon se
patris heredem esse meminerat? deinde quæ fuit
Secundi vecordia, qui patiebatur eius rationem
haberi quod ex Primi peculio sumpserat, eius ve-
rò quod frater de suo peculio consequutus erat,
mentionē nō faciebat? quod argumentū in su-
periore Disputatione prætermiseram. Deinde,

quomodo verborū illorū vis exponitur, PRO
 QVA PARTE? *Quia Primus* (inquit) *patri he-*
res exs̄titit. quasi verò PRO QVA PARTE,
 idē valeat quod QVIA. quod tamen mox itera-
 tur, *Partim quia Secundus tantundē c̄pit,* &c. Ve-
 rūm ut hæc quæ Grammaticalia nōnulli vocāt,
 omittā, deinceps Africano remoto, caussæ con-
 stitutionē eruditis viris proponā: vt si quis dein-
 ceps me viuo & incolumi aliter de ea statuendū
 esse docuerit, quām quo modo respōdisse Africa-
 num demōstraui, manus illi dem, & pro singulari
 erga me beneficio gratias agā. Nam vsq; adhuc,
 Deū immortalē testor, me verissimā & certissimā
 esse & interpretationē & emendationē meā ar-
 bitrari. Sempronius duos habuit filios, Primū
 & Secundum: vterq; centenos in peculio aureos
 habuit. Viuo patre Primus à Secundo quinquaginta
 mutuo accepit: ac proinde naturaliter illi
 debitor esse c̄pit. Patre mortuo, filiisque illis
 duobus ex eis portionibus heredibus relictis,
 quum Primus illā pecuniā se fratri ciuiliter & ef-
 ficaciter debere crederet, eā illi persoluit. paulo
 pōst admonitus est, debitū illud non ciuite, sed
 naturale tantū fuisse: quod à Iurisc. sic defini-
 tur: quod natura quidē solui æquum est: I. si no-
 xali, II. D. de pecul. quod naturalis quidē equitas
 solui postulat: I. Stichū, 95. §. naturalis, D. de fo-
 lut. sed tamen per iudicē peti non potest: I. i. §. id
 quod natura, D. ad leg. Fal. I. creditores, 10. D. de
 verb. sign. Agere igitur indebiti cōdictione ad-
 uersus Secundum fratrē suum instituit: quasi in-
 debtū per errorē soluisset, eiūsq; intētio hēc fuit:

Aio te mihi quinquaginta reddere oportere,
 quippe indebitè soluta. Exceptio Secundi, Non
 oportet. Cuius hæc ratio est, quoniā debiti natū
 ralis per errorē soluti nulla repetitio est. l.nā hoc,
 4. D. de cond. indeb. Quæro ex Iurisconsultis, &
 Academiarū omniū Doctoribus, & aduocatis,
 & cauſſidicis, & pragmaticis omnib^o, quid iuris.
 Atq; vt Relatorū & consultorū quorundā more,
 mēā sententiā primus exponā, crederē, si mei iu-
 dicii res effet, distinctionē adhibendā esse, quotā
 vterque partem ex fratribus sui peculio perceperit.
 Nā (vt inter omnes cōstat) patre mortuo, filiorū
 peculia cū hæreditate paterna confunduntur: sic
 vt in familiæ herciscundæ iudicio pro portioni-
 bus hereditariis inter illos diuidantur. l.certū, 13.
 C.famil.herc.l.filiæ, 12. C.de collat. Sed quotam
 quisq; ex peculio fratribus partē perceperit, magnæ
 quæſtionis videtur. Imo verò dubitari magnopere
 videtur posse, quāta vtriusq; peculii quāti-
 tas fuerit: propter vulgatā regulā, qua dicitur, id
 quod peculiatus naturaliter debet, eius peculiū
 imminuere, viciſſimq; quod ei naturaliter debe-
 tur, eius peculiū augere. l.6, §. sicut, D. de pecul.
 leg.l.7, §. 3, D. de pecul. Quod si verū est, in Pri-
 mi peculio quinquaginta tācūm numerādi sunt,
 In Secūdi verò, centū: & cōsequenter, Primus in
 hereditate diuidēda ex Secūdi peculio, quinqua-
 ginta, Secūdus autem, ex Primi tantū viginti-
 quinq; perceperit. Quod mihi lōgē videtur sec^o.
 Intelligendū est enim, totā istā, siue Prætorum,
 siue Iurisconsultorū, qui Prætoris edictū interpre-
 tati sunt, fictionē esse: qui ad effectū de peculio

actionis, interdū imputationib⁹, interdū deductionibus vtūtūr, & ea fingunt inesse in peculio, quæ nō sunt: vicissimq; abesse illa, quæ tamen eo cōtinētur. veluti cùm Prætor id imputat in peculiū, quod dolo domini factū est, quo minus sit. l. summa, 21, D. de pecul. Itē cùm ea deducūtur (id est, abesse finguntur) quæ patri dominōve, aut iis qui in eiusdē potestate aut tutela aut cura sunt, debētur. l. 4, & l. 9, §. præatoria. & §. peculiū. & §. seq. adeo vt singula corpora rerū peculiariū, pro rata diminui dicātur. quæ tota fictio & imaginatio est, ad effectū, vt dixi, de peculio actionis accomodata. l. 6, & l. 8, D. de pecul. leg. l. seru⁹, 30, D. de act. empti. Superius autē demōstratū est, in istis naturalib⁹ obligationibus & cōditionib⁹, factū, id est veritatē solā, spectari: neq; vllis fictiōnibus locū permitti. l. nec seruus, 41, D. de pecul. l. si quod dominus, 64, D. de cond. indeb. Quare in æstimāda quātitate peculiorū cautio hæc adhibetur, vt imputationes & deductiones & cæteræ fictiones remoueantur: solūmque (vt Iurisc. loquūtur) factū naturaliter & pingui Minerua cōsiderētur. Quod cùm fiet, tū perfacilis ad illam quantitatē definiendā via ratiōq; patebit. nā in Secūdi peculio, patre mortuo, ea tātūm summa numerabitur, quæ reuera, & (vt ita dicā) de facto reperitur. nimirum quinquaginta: in Primi verò, centū. vt quinquaginta, quæ Primus à Secundo mutuatus fuerat, neutrubi cōputentur: quia neutrubi naturaliter reperiūtur: quippe consumpta & perēpta: cùm pecunia ipso vsu & permutatione extinguatur. §. 2, Inst. de vsuf. Atq; id omnino

dici necesse est. necesse, inquā, est, quinquaginta mutuō à Primo sumpta, perēpta atq; extincta di cere: neq; in eius peculio reperiri. Id quod ex Africani verbis cogi & cōuinci potest, cūm ita loquitur, *Naturalem enim obligationem, quæ fuisset, hoc ipso sublatam uideri, quod frater Secundus partem ex Primi peculio sit consecutus.* Nā si quinquaginta illi mutuō accepti, reperti in Primi peculio fuissent, cum patris hereditate cōfusi permixtiq; fuissent. Si cōfusi fuissent, tum vterq; frater, qui ex æquis partib² patri heres existimat, cētenos suos peculiarios aureos recepisset: si Secūdus suos cētenos recepisset, in iis suos quinquaginta, qui partē illius summæ efficiebāt, recepisset. Si totā suā summam recepisset, Primus ei nulla in re debtor māsisset. Falsum est autē postremū: quoniā Africanus scribit, *Primum post patris mortē naturaliter obligatū māsisse.* falsa igitur quæ antecedūt omnia. Nā (vt Tullius scribit) quū cōsequens aliquod falso est, illud cuius est consequēs, non potest esse verū. Restat igitur vt ad primā quæstionē redeamus, An & quatenus quod Primus Secūdo naturaliter debitū post patris mortē soluit, tanquā indebitū cōdicat: & remoto Africano sic respōdeamus, Quoniā Secūdus ex Primi peculio quinquaginta consecutus est, (quod per ius ciuile cōtra iuris naturalis rationē factū est) equitas naturalis (qua sola naturales obligatio-nes nitūtur) postulat vt ea cōpensentur. l.6,D.de cōpensi. Totos igitur (inquiet Primus) eos quinquaginta aureos, quos tibi postea p̄solui, te mihi reddere oportet. Ex cōtrario Secundus itā refē-

ret, At tu quoque quod ex meo peculio perceperisti, vicissim deduxito: nimirum aureos **xxv.** quod naturalis quoque ratio & æquitas flagitat. Ex quo, subducta vtrinque ratione, cōsequetur, Primū à Secūdo per indebiti condicōnē tātūm **xxv.** repetiturū. Rectè igitur cum negatione ex Africani verbis sic respōdebimus: Pro qua parte Primus patri heres exstītit (id est, pro rata parte semissis) quia **xxv** ex Secundi peculio percepit, nihil ab eo repetiturus est. At pro qua parte Secūdus patri similiter heres exstītit, & partē ex Primi peculio cōsecutus est, ita Primus repetiturus est, si nō minus ex peculio qd Secundū fratrē suū peruenisset, quām quantū ei Secūdo debebatur. quod nūc accidit. nā Secundo debebātur **I.** idē ex Primi peculio **I.** cōsequitus est. Eatēnus igitur Primus ex illa summa repetiturus est, quatenus Secūdus plus percepit, quām ex equitate naturali ei debebatur: nimirū **xxv.** Atq; ita Secūdo solida, integra, illibata sui veteris peculii quantitas cōstatbit. nā quū Prim⁹ post patris mortē in percipiēda hereditate, **xxv** ex Secudi peculio cepisset, tātūm illi Secūdo **xv** restabāt. rursus Secūdus in percipiēda hereditate ex Primi peculio **I.** cōsecutus est. vnde efficiūtur **Lxxv.** postea Primus per errorē insuper illi **I.** dissoluit. vnde efficiūtur **Cxxv.** Repetātur per Primū **xxv.** Nō Archimedes, nō Pythagoras, nō Minerua (quæ numerū inuentrix fuisse dicitur) melius vñ quam, aut certius, aut liquidius rationē yllam cōfecerit.

A F R I C A N V S
Lescurii i. c.

A D P. G I L B E R T V M
Mallocium i. c. v. c.

I N L I T I G I O S A M
legem Frater a fratre, De
condict. indeb.

ЗУКАСИЯ ЗА

МУТАНДЫЛ ОДА

МАЗОИГИЛ И

БЕЛЫЙ БИРДА

A F R I C A N V S
L E S C V R I I I . C .

Ad P. Gilbertum I.C.V.C.

CO M P E S C V I S S E N T vtinā
Hotomanum Scrimgerus, Bonifi-
dius, Scaliger: nos nostrum, Gil-
berte, compescamus Cuiacum.
O si Belleurus adesset. Adde tibi
Vaccionem & Prunerium collegas vestros. Ex
curia proripio me. Addo dōdō socium me Ro-
aldo collegæ meo, vtrique omnibūsq[ue] grati-
fimo. Quis duo fulmina barbarici belli commi-
sit, in se se rupto vt fædere sœuant?

Hoc Ithacus uelit, et magno mercantur Aeridae.
Tu vide quā data porta ruas.

Αὔμφω ὁμῶς θυμαῖ φιλέουσά τε κνηδούμενή πέτι
Ego magnis sacerdotibus Africani nostri quid
potius quām ipsum Africanum obiicio, lato ful-
gentem ardore purpuræ? At quām grauem vtri-
que meritis hospitē! Tu te ipsum obiicito, Gil-
berte, dictis animos & pectora mulce:

-hinc exornata figuris

Aduolat excusso uelox sententia torno.
Sed ecce, iam loquentem Africanum audiatnus.



A F R I C A N I V S

lib. IX. Quæstionum.

FRATER à fratre, cùm in eiusdem potestate essent, pecunia mutuatus, post mortem patris ei soluit.

Quæsitum est, an repetere possit. Respondit, utique quidem pro ea parte qua ipse patri heres extitisset, repetiturum:

Pro ea uero qua frater heres extiterit, ita repetiturum, si non munus ex peculio suo ad fratrem peruenisset.

Naturalem enim obligationem, quæ fuisset, hoc ipso sublatam uideri quod peculij partem frater sit consequitus.

Adeo ut si prælegatū filio eidēmque debitori id fuisset, deductio huius debiti à fratre ex eo fieret.

Idque maximè consequens esse ei sententiæ quam Lillianus probaret, si extraneo quid debuisset, et ab eo post mortem patris exactum esset, tantum eum iudicio familie er ciscundæ recipaturum à coheredibus fuisse, quantum ab his creditor actione de peculio consequi potuisset.

Igitur et si re integræ familiæ er ciscundæ agatur, ita peculium diuidi æquum esse, ut ad quantitatatem eius indemnisi à coherede præstetur.

Porro eum quem aduersus extraneum defendi oportet, longè magis in eo quod frater ei debuisset, indemnem esse præstandum, et c.

AFRICANVM nostrū de vno tātūm pecu
lio loqui, affeueratione nulla vehementi
opus est, vbi manifesta fides est. duorum
peculiorum hypothesis magis proprium locum
forsan habere possit, in l. denique. s. qui Stichū.
de pec. leg. Eandem tamē usque retinebam, nisi
Africani mentem, opinione satis obscuram, ex-
terna alterius peculii commixtio re vera fecisset
obscuriorem & ancipitem.

Primūm nolim quemquam in animum indu-
cere, filium famil. nullo alio modo mutuum da-
re potuisse, quām si peculiū haberet. Nam præ-
terquam quod ex re patris sine peculio credere
potest, variæ sunt figuræ in ipsis rerum experi-
mentis, quibus filius familias seposita peculii ne-
cessitate credere possit. Quid enim si exterus in
hoc ei det, fratri ut credat peculium habenti? l.
sed si. s. j. ad Macedon. Nam & extra peculium
quod habet filius fam. obligari potest: ut in spe-
cie l. si filius fam. in posteriore parte de dam. in-
fecto. Quo loco nisi seposito peculio filiū obli-
gari proponas, solus non obligaretur. Sed &
patrem obtentu peculii contingere obligatio
filii, non secus atque in priore eius legis parte,
& in l. si pater filio fa. in fi. quæ in fraud. cre. &c.

Species ergo quæstionis Africano propositæ
fuit huiusmodi. Pater fam. qui filios duos in po-
testate habebat, alteri peculiū concessit & tra-
didit. (nam non sufficit voluntas, nisi natura-
lis datio sequatur. l. non statim. de pecul.) fra-
ter alter peculio carens, fratri peculium haben-
a. iij.

ti pecuniam mutuam dedit: (augeri eo credito peculium certum est. re namque peculium augeri dicimus. l. i v. de pecul. vt & ipso facto, veluti cum furto serui auctum peculium ait. l. seruus quem. de action. empt.) mortuo patre frater debitor cum pro parte heres extitisset patris, peculium in medium contulit: (ex l. certum. C. famil. erciscun.) eiisque diuisione frater alter partem consequutus est peculii: deinde fratri eidem frater mutuam quam acceperat pecuniam dissoluit. Quæsitum est an repeteret possit.

Consideremus rerum statum, qualis viuente patre fuerit primum: deinde qualis extitit eo mortuo: scilicet ante diuisionem & post peculij diuisionem. Nam inde sumentur dubitandi & decidendi rationes. Quibus excussis ~~অঙ্গের~~, mentem Africani singulorum verborum expensione patefaciemus.

Patria potestas, quæ ciuium Romanorū propria est, consumit & absorbet illa dissidia domi, quæ ius gentium ubique distinctione dominiorum inuexit. Filiifam. nihil suum habere, nihil distinctum iure Quiritium possunt: pater ipsa filiorum corpora, nedum res eorū omnes habet.

Ex hoc facilis & notissimo principio, formatur iuris necessitate, sed in paternum honorem & commodum, duæ fictiones illæ, quarum altera est, Patris & filiorum in potestate constitutorum unam personam censeri. l. vlt. C. de impub. & al. subst. §. ei vero. instit. de inutil. stipul. Altera, qua dicimus, filios patri adquirere confessim.

quidquid adquirunt. l. placet. de acquiren. hereditate.

Hæc posterior potior videtur, altera sequens.
Quorsum enim separaueris personā filii adquirēntis à persona patris, si rem adquisitam personis attribuere distributione nulla possis? ius ciuale ad vtilia & extricabilia, non etiam ad tāmē pertinet.

Annon vides personam filij à persona patris tunc separatam intelligi, etiam durante patria potestate, cùm pater, cui fictiones illæ eudūtur, res & rationes filij à rebus & rationibus suis separat, concessione scilicet & traditione peculij? d.l.i v.& l.v.de pecul.

Rerum ergo & rationum separatio, hoc est, (vt simpliciter dicā) mei & tui cōsideratio, personas quoque consequenter, tanquam naturæ quodammodo redditas separat: adeo vt inter patrem & filium ex naturali facto, veluti mutui consistant obligationes.

Hæ naturales vocantur, ad ciuiliū differen-
tiam. l.i. de nouat. l. naturales. de oblig. & act.
Namque filius, qui peculium voluntate patris tenet, corporaliter tantūm tenere dicitur, non etiam habere, possidere: cùm possessio non tantūm corporis sed & iuris sit: hoc est, vt ego in-
terpretor, ciuilis facultatis suo iure, non aliena concesſione possidendi. l. possessio. de acquiren.
possess.

Rursus qui in peculio versantur, corporalem rerum possessionem adquirunt: sed quia ciuili-
ter possidere non possunt, paterfa. creditur pos-

sidere, vt ait l. quod seruus. d. tit.

Ergo, inquit Iurisconsultus, quidquid filius, peculiari nomine corporaliter apprehendit, id statim pater eius ciuiliter possidet, quāuis ignoret. l. l. v. eod. tit.

Ex his locis, ni fallor, perspicuum est quare naturales huiusmodi dicantur obligationes inter patrem & filium, cui peculium concessit & tradidit. Nam sine peculio, hoc est, sine rerum confusarum separatione naturali, quomodo de rebus constitues obligationem inter patrem & filium fam. Si res ademeris filio, obligationum virtute sustuleris materiam & litium, vnde sumitur partim ratio decidēdi in l. lis nulla. de iudic.

Ergo quemadmodum hi qui ciuili facultate & suo iure possident, ciuiliter obligantur & obligant: ita qui possidetur ipse, quique aliena potestate tenet corporaliter, intra nudam naturalem consistit obligationem.

Effectus autē eius naturalis obligationis imbecillis est ad actionem: sed ad exceptionem, retentionem, imputationem, deductionem & compensationem, valet. l. j. l. naturaliter, &c. hoc tit. de conduct. indeb. l. j. s. si debitor. ad legem Falcid. l. in imponenda. C. eod. tit. l. etiam de cōpens. l. naturales. de oblig. & act.

Eas obligationes naturales circa quæstionē nostram duplices consideramus, mediatas, immediatas. Immediatæ sunt, quæ recta nullaque traducis vehiculi ope, quæruntur patri in filium, & è contra. De quibus Africanus distincto tractatu loquitur in §. quæsitum. hac ead. l.

Mediatas verò eas voco, quæ interie&tu subiectæ personæ vi patriæ potestatis inter patrem & filium cōsistunt. Et ad hoc genus obligatiōnum naturalium pertinet disceptatio controuersiæ fraternæ, quæ latè principium legis huius occupat. Eam solam controuersiam tractandā suscipimus, nisi quòd eius illustratione, quæstiones s. quæsitum, κατανακλασιν conspicientur illustres.

Species ergo nostra, in qua frater à fratre mutuum accepit, singulare quiddam habet ac elegans, quod veste veluti deducta oculis subiicere conabor.

Ac primùm illud notādum fuerit, patrem illa peculii traditione, non solum separasse videri personam filii à persona sua, sed & fratrem à fratre: hoc est, fratrem peculum habentem à persona fratri peculio carentis.

Rursus illud notandum erit, fratris illius peculio carētis personam, applicatam affixam remanere & vnitam personæ paternæ, nullo separationis intellectu, patris facto vel voluntate, vniōnem illam personarum labefactante, vt pote qui peculum ei non concederit.

Iam negocium istud inter fratres gestum dupli modo spectandum est, ex parte dantis, & ex parte accipientis. Ex parte dātis nata & quæfita obligatio crediti confestim patri nata & quæsita est, ita vt nullo momēto penes dantem constiterit. d.l.placet.de adquir.hæredit. Id verò fieri dicimus ex potentia illa ciuili patriæ potestatis, quæ vim habet veluti ἐλεγχών γέρπακη-

nlw. trahacem Plautino verbo dicere possis, nisi obsoletis vti pigateat. Ex illa inquam potentia ciuili, qua filius peculio carēs, quīque patris voluntate res & rationes nullas separatas habet, vna persona iuris necessitate cum patre cēsetur.

Accipiētis ex parte diuersum quid statuimus. Namque cūm patris volūtate peculium teneat, augmētum quoque quod peculio ob creditum illud accessit, tenet corporaliter, pater autem cū uiliter tantū. d.l. quod seruus. l. possessio. & l. i v. de adquir. poss.

Obseruabis itaque diligenter differentias quæ versantur circa fratrem dantem peculio carentem, & fratrem accipientem peculio præditum: (peculiatum cur non dicas?) Qui dedit, patri totum quæsiuit, sibi nihil: qui verò accepit, sibi corporalē possessionem quæsiuit, patri ciuilem.

Illud quoque notandum est, huic adquisitio- ni semper onus æris illius crediti, augmenti com pendio commissum credi & intelligi. l. si quis reum. §. huic. de lib. leg. l. quotiens. §. si semel. de pecul. l. si eius pupilli. ad Trebell. cum similibus.

Neque verò potētia illa ciuilis, quæ patri naturalem obligationem vltro citróque quæsiuit, inutilis fuerit. Non sunt functionum inutilium fictiones istæ. Ecquid igitur proderit, per filium patri vltro quæsita in alterum filium naturalis obligatio? Annon ut mortuo patri filii fratres ad æqualitatem naturalem redigantur? de quo suo loco dicemus. Sed & viuenti patri prode runt. Quomodo scilicet ad prærogatiuā & pri uilegium deductionis aduersus alios peculiares,

creditores, ex nota Seruui Sulpicij ad peculii definitionem in l. Sed si. §.ij. de pecul.

Fuit eius notæ supplementum necessarium, & auctoritate dignum Seruij: quod clarè constat ex elegati illa l. Si noxali. de pecul. Eam legem, quoniam difficilis videtur, paucis in rem quam tractamus, explicemus.

Nam loquitur de fauore aliorum creditorū peculiarium aduersus illud priuilegium patris, quo præuenisse alios creditores semper intelligitur, l. sed si dñmnum. §.ij. de pecul. Eo autem priuilegio per deductionem naturaliter sibi debitorum, aduersus peculiares filii creditores vertitur. Fingamus ergo, filium non suum debitorē, sed paternum exegisse. Quæritur an eo nomine patri aduersus creditores peculiares, deductionis prærogatiua competat. Non aliter, inquit iuriscons. deducet, quam si ante emancipationem filii ratum habuisset. scilicet post emancipationem subsequuta ratihabitio non retrorahitur in deductionis prærogatiuam, & detrimentum eorum quibus iam ius quæsitus erat. Quare autem, nisi tempestiuā intercesserit ratihabitio, deductio non fiat, tradit iuriscons. in hanc sententiam: Liberari filium, in fauorem scilicet aliorum creditorum, obligatione hac erga patrem, quam natam nimirum pater commisceretur, eo quod filius non sibi debitū à debitore peculiari, sed à paterno debitore sibi indebitum exegisset. Naturalia enim debita, inquit, in peculii deductionem (quæ scilicet traditione, numeratione, vel sanè tempestiuā mini-

mēque fraudis suspecta ratihabitione constant) spectamus: nō etiam in prærogatiua deductio-
nis æquipollentias istas subrogationis istius fi-
lij, in locum externi & paterni debitoris admit-
timus. Veri debitores, naturales debitores vo-
cantur. I. Julianus verum. de condic. indeb. Hoc
autem casu, non verus & directus & immedia-
tus debitor filius patri foret, sed obliquus & sub-
rogatus. Quid igitur? pater nimirum debitorē
illum, qui perperam filio soluit, pulsat si volet: i-
pse verò qui filio indebitum soluerit, cum aliis
peculiaribus creditoribus æquo pede cōcurrat:
minore sanè creditorum incommodo, quām si
pro libidine patris liberato hoc debitore pater-
no, & obligato filio, prærogatiuam deductionis
paterentur. Taurellus vt planam faceret ex Ac-
cursij iudicio legem hanc, vocem Indebitum à
iureconsultis, in subiecta materia, cōpositè sem-
per usurpatam, in duas secrevit voces, iurecon-
sultis in eo significatu Taurelli, ni fallor, inso-
lentes, hoc modo, In debitum, pro In debiti in-
se suscep̄ti causam: ratus scilicet id quæri à iu-
risconsulto, an filius liberetur, si pater deducat
ex peculio filii, quod ipse à debitore paterno e-
xegisset. Quod cūm prorsus omni yacet difficul-
tate, nunquam putarim tam accurata disputa-
tione iurisconsultum tractare id argumentum
voluisse.

Vt ergo ad Seruium redēamus, deductionem
admittūt naturalia vera & directa in filium de-
bita, non obliqua. Quare non immeritò ante
Seruij su plementum dubitabatur an id credi-

tum quod patri per subiectam filij personam quæsitum erat, in deductionem veniret: cum verus & rectus creditor pater non videretur, qui nihil ipse numerasset, qui fidem ipse accipientis sequutus non esset. Necessaria fuit ergo Seruij nota: quā etiā mihi videtur Vlpianus defendere hac ratione, Quod ea quæ personis subiectis deberetur, nemo ambigeret quin patri debeantur, & quidē debeātur sine fraude, sine patris nouo factō. Itaque deductioni subiacebunt. Usus ergo & effectus is est obligationis, quæ ultrò in filiū accipientē quæritur patri per filium dantē.

E diuerso, quis usus erit oneris, quod citro patrem contingere diximus ex persona filii accipientis? Nam potestate durante, inutilis filio danti in patrē fuerit obligatio illa propter confusione[m] personarum, & propter rationem l. lis nulla de iudic. De obligatione loquor, quā passiuā vocant, de qua in d.l. si eius pupilli ad Trebel. Et effectus eius & usus (quod sanè quis forsan miretur) aduersus fratrē ipsum, qui mutuum dederat, tandem elucebit post mortem patris. De quo dicemus ad versum, Idque consequens.

Ergo hunc rerum statum constituimus viuente patre: ius illud crediti, vi ciuili quæsitum illi fuisse & plenissimo iure, ita ut apud fratrem, qui mutuum dederat, vix somnium umbræ naturalis præstationis, vix nudum illud & inefficax non men creditoris naturalis, & facti præteriti, memoria permanserit. Peculium vero eo credito & numeratione auctum simul & oneratum, corporali tantum possessione apud alterum filium

resedisse, durante scilicet eadem patris voluntate, vi verò ciuili penes patrem constitisse tatum:

Nunc videndum qualis constitui rerum status debeat patre mortuo, & ante peculij divisionem. Et morte patris certum est sublatam funditus esse & intelligi patriam potestatem. vulg. §.morte.instit. quib.mod.ius pat.pot.solu.

Sed absorpta ea fictioni scatbra, surgit confessim alia, qua dicimus, heredum & defuncti personas proxima & eadem computari, nou. de iureiur. à mor. præst. §.i. Vide iuris ciuilis casus ineuitabiles. Hæc rursus personas & res confundit: Quidquid heres defuncto crediderat vel debuerat, id, quoniam ea fictione in eandem personam concurrit, confunditur. Et quidem confunditur non repugnante natura. Antitheseom enim in easdem res & personas simul, vbi nulla præsertim versetur utilitas, ciuilis & naturalis ratio æquè impatiens est. Iusti mater & æqui utilitas. Namque cui bono, aut quomodo in eadē persona discernas eiusdem rei creditum & debitum, actionem & passionem, aientia & negantia? l.si id. de li. leg. l.heres. §. quod si. de fideiuss.

Rursus ex eodem fonte, sui heredes in vices & iura defuncti derepente apparent & existunt, tanquam minime persona mutata: ita ut quidquid transmissibile (ut ita loquar) in bonis & dominio moriens pater habuit, in heredes transsum consistat. quod in suis heredibus adeo velocissimum est, ut pene sensus intellectus fugiat. l.in suis. de lib. & post.l.in suis de leg. her. &c.

Diximus patrem viuentem, ius illud, naturali

de præstatione ortum, in patrimonio habuisse: Diximus item habuisse ciuilem nō corporalem peculii & rerum peculiarium possessionem. Hec igitur quæ viuus habuit, neque commutauit facto aut voluntate perspicua, in hereditate certè moriens reliquit. morte porrò nemo dixerit facultatem, quam viuens pater habuit peculij reuocandi, vires suas exercere.

Iam verò quod tradit Papinianus in l. emptor. §. ancillam. de rei vind. superiora confirmat: in specie siquidem illius, §. pater testamento morte confirmato, hoc est, viuens & moriens, reuocasse censetur peculium, ideo quòd filiam, quæ dotem & præterea peculium habebat, ab hereditate sua submouit exheredatione. Aliud est (inquit) si peculium prælegauit, vel si in elo-
gio exheredationis, rationem exheredationis professus fuerit testator: se scilicet ideo filiā exheredare, quòd ea dotem & peculium haberet. Tunc enim licet obliqua illa verba non valēant in prælegatum peculij, in retentionem tamen filiæ proderunt.

Morte ergo patris filio peculiato non auocatur peculium: sed cùm morte patris filius hic peculiatus, paterfamilias effectus fuerit, peculium habere desiit tanquam peculium, sed tanquam partem patrimonij noui res ipsas peculiares retinet nouus paterfam. l. vlt. in extrema par. l. de inof. test. Paterf. liber, id est, hostium non potitus, peculium habere non potest: quia nihil à patrimonio distinctum & separatum habere intellegitur. l. paterf. de verb. sign.

Sequitur mortem patris, immisionis suorum
heredum cōsideratio. Ea immisione ius omne
paternum vtrique fratri æquis partibus cum re-
bus adhæsit. Ius itaque crediti, quod patri viue-
ti quæsitum dicebamus, & eo moriente heredi-
tati relictum, vtrique æquis partibus obuenit,
non ciuiliter modò sed & natura non reclaman-
te. Hic confusio vires suas explicat. Nam pro
qua parte debtor heres extitit patris, confundi-
tur & tollitur obligatio. Pro parte verò cohere-
dis, remanet. l. pen. C. de heract. l. si ab eo. C. de
neg. gest. l. Grauius. de fideiuss. l. debitori. C. de
pact. Tollitur inquam naturalis etiam obliga-
tio confusione, quæ per immisionem accidit.
Non minus enim quām ius ciuale natura confu-
sionem hanc auida complectitur: scilicet, quia
natura incompatibilia exhorret ac abigit: quod
actio sit, passio sit, & viceversa: quodque sit cre-
ditum, idem sit debitum, & viceversa: id inquam
natura non patitur in eodem subiecto. d. l. si id.
de lib. leg. d. l. heres. §. quod si. de fideius. l. stichū.
§. aditio. de solut. lib.

Fictionem verò representatæ defuncti perso-
næ fouet natura, vt aduersus ~~τὰ ακατάνακτα~~ pul-
chrum operetur confusionis huius opus. Scili-
cet non reclamante natura, ius patris defuncti,
filio pro parte adhæserat: atque eadem fauente
denuò, ius crediti & debiti in bonis relictū, fra-
tribus redditur æqua lance. Natura nimirum cū
ea ciuili æquitate non pugnat, quæ ad æqualita-
tem naturalem fratres, naturaliter & ciuiliter æ-
quales, reuocat.

Denique

Denique natura æquitati ciuili magis interdum fauet, quām ius ciuile naturæ. Nāque quare ex mutuo non dat ius ciuile actionem homini seruo, aut in hominem seruum, cūm ab æquitate id nullo modo abhorreat? l. naturaliter. de condic. indeb. l. serui de obl. & act.

Et non malè (ni fallor) præceptor ille noster, Gilberte, naturales obligationes istas dictas putabat, quod solo iure ciuili deficerentur. Itaque cūm ab eo aliquando quæsiissimus, quare serui naturaliter obligarent & obligarentur, respondit, quia non ciuiliter. Ciuiliter autem non obligant nec obligantur, quia iure ciuili pro nullis, pro mortuis habentur. l. seruitutem. de regi iur.

Sed vt ad rem redeamus, diximus filium peculiatum corporalem possessionem peculij, cui voluntate patris viuentis incubuerat, eodem mortuo retinuisse & continuasse: atque ipso filio patref. effecto, peculij nomine evanescente, res ipsas peculiares nouo eius adcreuisse patrimonio. Nunc illud notandum est, quod licet concedamus fratres æquis iuris partibus hereditatem paternam per immisionem acquisisse: non tamen idcirco concedimus possessionē peculij fraterni sine novo factō alteri fratri adcreuisse. l. cūm heredes de adqu. poss. Atque quid & quantum iuris in peculium fraternum alteri fratri transmissum sit ex patris defuncti persona, ex eo intelligimus, quod si pater ipse credidisset filio peculiato, mox emancipasset, (qui caus morti comparatur) nullum ius in peculium

haberet ex vi patriæ potestatis: sed sola nuda i-
psi patri continuaretur naturalis obligatio, quā
in filium habuerat. d. s. quæsitum.

Cūm igitur in casu nostro naturalem obliga-
tionem vi ciuili quæsitam, pater heredibus reli-
querit, cōsequens est vt fratri (qui mutui datio-
ne eam olim adquisierat patri) restituta quodā-
modo pro parte videatur: licet verius adquisitā
dixeris. Sed quia partis adquisitionem illam nō
implet & perficit rerum peculiarium possessio,
vt supra dictum est: ideo proposuimus in specie
nostra fratrem debitorem fratri creditori eidēm
que coheredi possessionem peculij communi-
casse per collationem, ex d. l. certum. C. famil.
ercisc.

Peculij nunc sequitur diuisio. Sed antequam
ad eam accedo, notanda secunda species rerum
confusionis hīc est. Diximus supra ex immistio-
ne hereditatis confusionem personarum & re-
rum iure ciuili, natura non repugnāte, nasci: ec-
ce aliam ex collatione confusionem rerum. Cō-
fusionem inquam ipsius peculij cum hereditate
patris. Cūm peculium, cūm hereditatem dici-
mus, commoda & incommoda, lucra & onera,
credita & debita semper exaudiimus. l. quoties.
s. si semel. de pecul. d. l. si quis reū. s. huic. de lib.
leg. Collationem porrò confusionem esse non
nemo dixerit. quod enim peculium fuerat, col-
latione confunditur hereditati, ita vt non mo-
dō hereditarium sit, sed cremen̄to hereditas ipsa
videatur effici.

Iam vero ex hac rerum confusione, quæ non

ex immistione, sed ex propinquiori causa nascitur; id est, ex collatione & communicatione peculij, ipsum creditum & debitum peculiare, fratri adhæserunt creditor, ita ut creditor sibi pro parte debitor sit effectus: quemadmodum immistione hereditatis diximus antea, fratrem debitorem sibi pro parte creditorem effectū fuisse.

Ergo postremo sequitur diuisio peculij, hoc est, ipsius etiam augmenti peculiaris, quod ex mutuo accesserat. Sed augmentum illud inseparabile est ab onere, quod peculio imposuit mutui crementum. Itaque cum peculium diuisum proponimus, augmentum & onus partibus diuisis inesse intelligimus.

Ex ea peculij diuisione, hoc est, emolumenti & oneris participatione, frater debitor (qui iam pro parte erga se metipsum per immistionē hereditatis, & confusionem debiti & crediti, liberatus erat) liberatur & pro reliqua parte, traditione scilicet naturali partis peculij, in qua latebat pars reliqua debiti.

Multa (inquit Vlpianus in l. si ex duobus de pecul.) iuris occasione contingunt, quae natura & æquitas non dictarant. Itaque magis, inquit, perceptio quam intentio effectum habebit, &c.

Communicatio peculij & cōfusio, quam per collationem fieri diximus, iuris occasionem habent, natura tamen non liberant: sed partis perceptio, traditione facta, natura liberat. Ante partis perceptionem naturalem, durabat naturalis obligatio partis, arg. leg. Julianus verum. de cond. ind. perceptione demum sublata est. Et

in hanc sententiam altum sonare videntur Africani verba illa , Naturalem enim obligationem, quæ fuisset, hoc ipso sublatam uideri, quod peculij partē frater sit consequutus.

Dubitatis rationes ex supradictis iam tēpestiuē nectere quis ita possit. Annon natura recurrere videtur expulsa? Nam quomodo factum ipsum numerationis & mutui tolles vel elides, quo frater qui dedit, fratri accipientis natura creditor videtur effectus? ciuilis ratio ciuilia potens est corrumpere , naturalia verò nō vtique.vulg.l.eas.de cap.min.§. vlt.,inst.de leg. adg.tut.& §.sed naturalia:de iur.nat.§.singulor. de rer.diuis.&c. Annon naturām sequuti, respui- mus proportionem qualitatū relatarū illam, qua dicimus fratrem filiumf. credere fratri fi- liof.& sibi debitorē facere ? l.nec seruus.de pec. Cūm frater fratri credit , æstimare debere vide- mur æqualitatem illam naturalem , qua homo nō distat ab homine.l.quad attinet.de reg.iur. hoc est, hominem hominis fidem sequi præsta- tione & naturali facto (nam credendi & deben- di voces naturales non videtur iurecons.) l.cūm amplius.§.is natura.de reg.iur.iuncta d.l.nec ser- uis.de pecul.l.si id quod hoc ti. de cond.indeb. 1.fideiussor obligari.§.fideiussor.de fideiuss.

Si ergo nulla vi ciuili natura vinci possit, con- sequens est ut frater, qui pecuniam fratri dedit, creditor semper maneat. Id verò sufficere vide- tur ad impediendam condictionem indebiti in specie proposita.l.naturaliter. l.iudex.hoc tit.l. etiam.de compens.

Exagitare quoque natura videbitur fictiones illas. Nanque si vi illa ciuili, patris & horum duorum filiorum personas in vnum confundimus, si res filiorum in rebus patris numeramus: quomodo in specie nostra discernas creditum à debito, creditorem à debitore? si nihil filii habere dicuntur, pater totum habere creditur, quid ergo est quod frater mutuatur fratri? Annō id perinde fuerit atque si è laeva manu in dexterā, ex arca illa in loculos illos suos pateret. pecuniā suam traducere? sibi ipsi mutuum daret, à semet-ipso mutuum acciperet? atque quantum res eius attolleretur credito, tantūdem debito deprimeretur? Deniq; ubi sit pecunia illa credita, nihil patris referre videtur, dummodo apud alterutrum filiorum consistat. penes se nanque semel tantum consistere & intelligi posse videatur.

Denique tantane vi praedita ciuilis illa potestas fuerit, ut funditus sustulerit vestigium præstationis illius naturalis, quam significat iure cons. per crediti & debiti catachreses, in d.l. nec seruus: quasi lege veluti regia ei & in eum (de patre loquor) transflata fuisset naturalis obligatio? Atqui debitoris & creditoris naturales qualitates fictionibus istis non lèduntur. d.l.eas.de ea.minu.&c.

Itaque creditorem, semper creditorem, debitorem, semper debitorem manere videri naturaliter, donec naturaliter etiam debitum dissoluatur, non fictionibus immisionis hereditatis, vel collationis peculii. Vnde intelligimus, fratrē
b.iii,

debitorem qui post immisionem & collationē fratri pecunia dissoluit, eam repetere non posse. Validior pugna earum rationum videbitur aduersus Africani responsum eo ipso quod natura duce velitentur.

Sed ut eas debellamus, meminisse diligentissimè oportebit quod suprà initio fundauimus: filiumf. in orbe Romano neque seipsum, neque filios partes sui, neque quicquā omnino suū habuisse: patris omnia fuerūt. Quid ergo filio proficia fuerit ostentatio facti illius naturalis numerationis, cùm perinde id fuerit atque si de paterno numerasset? Nulla igitur inuidia à natura possit exoriri aduersus hanc patri per filiū quæsitam naturalem obligationem.

Naturam porro consideramus tanquam in orbe Romano. Ius namque Quiritium constat etiam partim ex natura, l.i. s.priuatum. de iust. & iur. Naturam tamen exaudire hic oportet, nō eam quam in rerum omnium communione imaginamur, sed eam quæ occupationibus meū à tuo secreuit, de qua in l.ex hoc iure. d.tit. Id vero ius gentium naturam plerunque vocamus: atque adeò in subiecta quam tractamus quæstione l.cum amplius, s.is natura. de reg.iur. Tunc naturam quæsieris extra. nec mouearis quod ius ciuile actionis præsidium inter personas certas huic naturæ denegat. nam in eo solo iuris opes positæ non sunt. Quid? annon naturam illum, quæ meum & tuum patitur, protegit, fuet, fulcit opibus exceptionis, retentionis, deductionis, compensationis? d.l. naturaliter.l.iu-

dex.de cond.indeb.hoc tit.l.etiam de compen-
sat.

Iam verò quod ad personarum confusionem
in vnum attinet,diximus peculii concessione &
traditione,separationem rerum & rationū quo-
dammodo reddidisse naturæ separationem per-
sonarum: idque contigisse voluntate eius,in cu-
jus fauorem ius ciuile res & personas confude-
rat.l. IV. de pecul. l. per seruum. §. 1. de adq.rer.
dom.

Quod verò tertio loco obiectum est,dantem
semper natura creditorem,& rursus accipientē,
natura semper debitorem manere,donec natu-
ralis solutio sequatur:l.Iulianus verum.hoc tit.
de cond.ind. id verò in specie duorum peculio-
rum duobus fratribus attributorum,locum ha-
beret coloratius: quia scilicet vtraque filii per-
sona separata foret à persona patris,& vtraque
naturæ redditæ facto patris & voluntate. Quo
fieret ut clarè atque distinctè circa vtrosque na-
tura suas functiones explicaret:non secus atque
si proponas fratrem peculiatum cum extero ne-
gotium contraxisse. Quæ ratio dubitandi est in
eleganti controvërsia Celsi & Aristonis,apud
Pomponium,in l.i.de resc. vendit. Atque in ea-
dem vel non valde dissimili specie intelligendā
putem s̄epe citatam l.Iulianus verum: hoc tit.

Cuius in legis contextu quoniam Accursiū
torquet ænigmatica clausula illa, *Quia ex una
causa alterius solutionis origo proficiuntur*: eam ita
dissoluendam putem.

Dum litigat verus debitor, id est naturalis,
b.iiii.

cum creditore naturali: debitor ille similis est ei qui promisisset centum dare, siue nauis ex Asia venerit, siue non venerit. Nam siue debitor condemnatur, siue non cōdemnetur, natura debet. Licet enim sententia, iuris civilis inuentū, pro veritate habeatur, plārumque tamen veritas non est: ideoque veritatem naturalem vincere non potest. Ergo durāte veritate debiti naturalis, si līte pendente soluat debitor, non repeter: quia cūm soluit, iam ex vna, id est, ex alterutra disiunctiuarum, debet, ex vtraque debiturus.

Restat ut Africani meptem diligentis singulorum eius verborū expēsiōne patefaciamus. Sed illud primū notemus, eum qui indebitum accipit, re obligari, l.v. §.is quoque de oblig. & act. Tenerique eadem actione, qua qui mutuum accipit. d.l. & §. xi. instit. quib. mod. re contrah. ob ig.

Africanus.

Frater qui peculium habebat, quem, non abhorrente Latinitate, peculiatum in scribēdi cōpendium dicere sum ausus.

A fratre peculio carente.

Pecuniam *mutuatus* *in rem* *peculiarem.*

Cūm in eiusdem potestate esset vnde crediti obligatio naturalis, patri vi potestatis quæsita est, & eius patrimonio vnta. Debitum verò cū augmento peculii apud filium debitorem corporali possessione perseverauit, durante eadem patris voluntate.

Post mortem *patris* *non* *solum* *post immisio-*

nem, sed & post collationē & diuisionē peculii.

Ei soluit iuris errore ratus se debere.

Quæsitum est an repetere possit? Anceps quæstio est. Quæritur enim illud, an totum repetere possit: item illud, an partem repetere possit. quod intelligitur ex subiecto Africani responso, Respondit, utique quidem pro ea parte qua ipse patri heres extitisset, repetiturum. Omnino igitur dimidiā partem debiti per errorem solū repetet. Quia pro ea parte et si salutum nō fuisset debitum, vti sanè fuerat peculii diuisione: tamen miser hic & stupidus frater confusionis beneficio prætermisso, quo liberatus erat pro parte, eandem partem fratri nihilominus soluerat. Duplex ergo soluētis detegitur error, quòd putarit cōfusionem illam debiti & crediti, quæ ex immistione hereditatis illum contigerat, sibi pro parte sua hereditaria non profuisse: quódque putasset, fratrem partis peculii assequutione, in qua augmentum illud & ipsa pecunia credita continebatur, debiti quoque & oneris partem iure & natura non tulisse. Ergo repetiturū eum pro ea parte qua debitor ipse heres extitisset, affirmat Africanius, nō simplici dicto, sed enixa affirmationis geminatione. utique quidē: nam vehementior in hoc membro condicendi ratio est, quam in parte sequente, vt ex supradi-ctis liquere puto. Quibus accedat quòd natura non patiatur fratrem aut quenquam, cum fra- tris vel cuiusquam detrimento fieri locupletio- rem, l.nam hoc. de cond.ind. hoc tit. quódque eadem natura abhorreat, his idem exigi, l.bona

fides. de reg. iur. Sequitur in textu:

Vers. Pro.

Pro ea uero parte, qua frater heres extiterit, ita repetiturum, si non minus ex peculio suo ad fratrem peruenisset. Hoc membrum subdiuisione persequitur Africanus. Aut æquis partibus diuisio peculii facta est, aut inæqualibus. Si æqualibus, repetet: si inæqualibus, non repetet. Fusius hæc explico. Finge, peculium constitisse ex duodecim. Si frater debitor inæqualem sed maiorem partem retineat, puta septem, creditor vero frater sola quinque ferat: videbitur debitor maiorem partem tulisse hoc obtentu, quod intelligeret sibi onus debiti dissoluendi imminere. nullam namque præterea causam habuit, per inæqualitatem eiusmodi diuisionem execuendi, & retentionem inducendi eius, quod æqualitatem supra excurreret.

Similis est retentionis effectus in d. §. quæsumum. circa princ. in hac l. Ergo si diuisione hac, inæquali modulo facta, frater ille debitor, fratri debitum, pro dimidia parte fratrem contingente soluerit, non repetet: quia tantundem retinuisse, & in hoc retinuisse solum videbitur, per excessum æqualitatis in peculio diuidendo. At si æquis partibus peculium diuisum proponas, expedita res est. nam uterque partem emolumenti partemque oneris quæ peculio inerat, abstulit. Ergo Ita repetiturum, si no minus, si nihil minus quam ad fratrem debitorem obtentu debiti, ad fratrem creditorem peruenisset cum effectu. Sequitur in textu:

Vers. Naturalem.

Naturalem enim obligationem quæ patri quæsita in totum viuenti fuerat, & per patris mortem, eius in hereditate relicta, indeque fratri utriusque quæsita proportione hereditaria.

Quæ fuisset. nō ergo collatione peculii sublata naturaliter erat pars hæc obligationis. arg. d.

I. Julianus verum. hoc tit.

Hoc ipso, tñ duā pñ, ipso iure,

Sublatam uideri in perpetuum: non elisam, non cessantem, quæ instaurari restituive possit in retentionis, deductionis, vel compensationis effectu. l. qui res. §. aream. de solu.

Quod peculij partem, non minorem, sed æqualem, & in qua latebat æqualis pars obligationis, quæ fratrem alterum cōtingebat, & de qua nunc agimus.

Frater sit consequitus. Perceptio, vt diximus, non intentio naturæ satisfacit. d.l. si ex duobus, de pecul.

Cū ergo ex perceptione, & naturali partis adsequutione, in qua pars debiti inerat, sublatæ fuisset obligatio, vti demonstrauimus, annon apertissime liquet, stupidum hunc fratrem, errore supino, post illam diuisionem, indebitum soluisse, siue totū, siue partem? ergo condicitioni locus erit, d.l.v. §. is quoque de obl. & act. d. §. ij. insti. qui. mo. re contr. obl. l.i. & toto hoc ti. de cond. indeb.

Vers. Adeo.

Adeo obligatio naturalis, pro ea parte, qua frater creditor heres patri extitit, sublata vide-

tur partis peculij consequutione, in qua oneris partem inesse diximus. nam inesse vel non inesse controuersiam hic faciunt : in qua dissoluenda suscipitur omnis nunc Africano labor.

*Adeo inquam, ut si prælegatum filio peculiato,
Eidemque debitori naturali, paterno, mediato id
peculum*

*Fuisse, deductio huius debiti à fratre, olim me-
diatore adquisitionis paternæ : nunc morte pa-
tris pro parte hereditaria creditore fraterno.*

Ex eo peculio prælegato

*Fieret, pro ea qua de nunc agimus parte. nam
qui peculum prælegat coheredi, cum onere le-
gat. l. j. s. per contrarium. de dot. præl. l. si pecul.
de pecul. leg.*

*Cum ergo à fratre creditore pars peculij per
prælegatum non auferatur (vt in casu superiori)
sed partem plenam consequitur peculij. æquum
est vt in ea parte latere existimet partem, quam
deduceret ipse, si prælegato peculio ei auferre-
tur. Quod cum est, satisfactum sibi putet partis
assequitione, & fateatur mox subsequitam solu-
tionem se accepisse indebitam.*

Vers. Idque max. conseq.

*Idque maxime consequens esse ei sententia quam
Iulianus probaret si extraneo non doméstico cre-
ditori, vt in specie nostra.*

Quid debuisset frater peculiatus.

Et ab eo debitore.

*Post mortem patris, ante vel post confusiónem
peculij conlati vel conferendi,*

Exactum effet, in solidum puta.

Tantum eum iudicio fratrem debitorem.

Familiae erscicundæ recipaturum à coheredibus fuisse, quantum ab his creditor actione de peculio consequi potuisset. Intra annum. I. his consequenter. s. si filius fam. ercisc. neque causari coheredes poterunt, fratrem, qui soluisset, solum debuisse, suū non coheredum debitum dissoluisse: ideoque partem suam solam oneratam, solam exonerasse: non alienam. Alter enim res se habet. namque frater debtor, qui peculiare dissoluerit debitum, omnes peculij participes pro cuiusque parte hereditaria exoneravit. nimirum viuenti & morienti patri id onus quoque adhæserat cū augmēto peculij. Quem vsum & effectum diximus esse obligationis illius quam vocant passiuam, quam patri filius peculiatus aspersit, mutuam illam accipiēdo pecuniam in caussam peculiarem. Sed fingamus fratrem vices extranei creditoris induere (qua fieri possit) eiique post mortem patris ante peculij diuisionem, à fratre pro parte sua solutam pecuniam tanquam cuilibet, mox peculium diuisioni expositum fuisse tanquam cū coherede: annon si partem æqualem peculij auferre velit, refundere debebit, vel imputare quod ei solutum pro peculiari debito fuerit? Utique sane. nam alio qui bis idem exigeret, aduersante natura. Si velit ergo solutū retinere, necesse est ut parte inæquali peculij, eaque minori, satisfactū sibi putet. nisi agnoscerre malit, partem debiti latere in peculij æquali parte, quam consequi cupit illibatam.

Vers. Igitur.

Igitur, ait Africanus, et si re integra, nulla exactione abs debitore fratre facta, familiæ ercisan-dæ agatur, ita peculium diuidi æquum esse ut ad quantitatem eius debiti pro parte hereditaria cohædem contingentis, & quam latere diximus in parte peculii tribueñda.

Indemnis à cohæredē præstetur, cautione indemnitatis exposita l. si à pluribus de leg. l.

Vers. Porró.

Porrò eum debitorem.

Quem aduersus extraneum defendi & indemne præstari

Oportet, cautione per cohæredem, ut diximus, exposita.

Longe magis vbi creditoris eiusdémque cohæredis in semetipsum stulta cautio est.


Longe (inquam) magis re non integra diuisioq; peculio scilicet. nam ad speciem nostram initio propositam hæc omnia reducenda sunt.

In eo quod frater debuisset, indemnum esse præstan-dum, condictione indebiti per errorem soluti-qua sola via fratres Africanus ad æqualitatem perduxit.





HActenus, Gilberte, controuerfa illa dissidia
 & conciliationes fraternalis, ad mentem A-
 fricani collimatas succisis , creptitiis, sed suaui-
 bus certe meditationibus consequi licuit. Omnes
 accipient, vtinam, huius symboli τῆς καταλαγῆς,
 magni apud Africanum dissidentes conuiuæ.
 Amici nobis sunt : candidi sunt: amicitiam can-
 dorem conferimus. Omnino sanè rapienda oc-
 casio fuerit, diductos vt iugo cogamus aheneo.
 Vnita non dispersa virtute, affecto confiendo
 reddatur barbarico bello. Nam etiam Capito-
 nis olim & Labeonis scholaistica dissidia, Gil-
 berte , subtilitate magis ancipiti ius illustrasse
 ciuile plerisque videtur, quam simplicitate legi-
 bus amica. Vale. Gratianop. v i i. Kal. Fe-
 bruar. Anno Christi C I O. I O. L X X I V.





87





~~MS. A. 1. 1.~~
4/9

“Shelf List”

